Digitized by Google

Digitized by Google

7898
juris 8. 1 f. 129

#

Bronchorst

(Everard)

337067

METHODVS FEVDORVM,

auctore

EVERARDO BRONCHORST
I.C. Daventriensi, & legum Antecessore in Academia Lugduno-Batava.

Adjunctæ sunt ORATIONES *duæ:*
Vna de Studio Iuris rectè instituendo;
Altera de laudibus Iurisprudentiæ:

Eodem Auctore.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1896



BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE DE LYON

LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officina Vlrici Cornelij & G. Abrahami.
Impensis Jacobi Marci.
Anno CIↃ IↃ CXIII.

Illustribus, Amplissimis, Nobilissimisque

TRANS-ISVLANIÆ ORDINIBVS, ET TRIVM PRIMARIARVM

Ejusdem Provinciæ

CIVITATVM

CONSVLIBVS ET SENATORIBVS,

Dominis & Mecænatibus suis honorandis,

EVERARDVS BRONCHORST D. salutem precatur à Domino.

ILlustres & Amplissimi Domini Proceres, Mecænates mihi perpetuâ observantiâ colendi, Annus jam agitur undecimus, ex quo sex Centurias ἐναντιοφανῶν, seu controversarum juris quæstionum & legum in speciem pugnantium concilia-

liationes publicè in lucem emisi.

Hunc meum laborem & conatum studiosis juris gratum acceptumque fuisse, mihi planè persuasum habeo.

Nam multi docti, & prçclarè in Iurisprudentiâ versati viri, sæpius hortatores & monitores mihi fuêre, ut in hoc argumenti genere pertexendo operam studiumq; meum impendere non cessarē, eò quod studiosorum juris conatus & labores hisce meis lucubrationibus non parum promover intelligerent. Præterea hoc etiam argumento institutum hoc meum leges in speciem adversantes conciliand & dissolvendi, studiosis ingratum & inutile non fuisse deprehendi, quod postquam hæ Centuriæ à me Lugduni Batavorum typis divulgatæ essent, statim à diversis bibliopolis & typographis in Germaniâ, me nescio, denuò erant recusæ. Vnde colligebam

hosce meos libellos studiosis non ingratos, & acceptos fuisse. Itaque cùm ea quæ in jure Civili Romano dissidere, & in speciem pugnare videbantur, pro meâ virili ad concordiam & harmoniam redegissem; illud restabat, ut idem in jure seu usibus Feudorum præstare conarer, in quibus pleraque confusè, perturbatè, & ambiguè à Compilatoribus descripta, nobis sunt relicta.

Doctrina, inquam, Feudorũ magno omnium incommodo parum ordinatè & methodicè est conscripta. Præterea multa ad nauseam & fastidium in his libris sunt repetita, nonnulla δὶς διὰ πασῶν & è diametro repugnantia in ijsdem scriptis prodita extant. Obertus siquidem de Orto seu Hortensius, & Gerardus Capagisti Niger, Feudorum authores & compilatores, sive occupationibus suis in respon-

dendo de Iure, & causas beneficiorum judicando, sive alijs de causis impediti, duos libros Feudorum, velut in adversaria conjectos, nullo ordine nullaque methodo compositos posteritati reliquerunt.

Quare operæ pretium me facturum putavi, si non solum bona & convenienti Methodo, dispersa & diffusa Feudorum jura disponerem, verum etiam aliquod interpretationis lumē, & obscuris locis perspicuitatem adferrem, & denique locos in speciem pugnantes & dissidentes probabili aliquâ ratione componerem & conciliarem. Porrò utile & consultum est in hoc Feudorum tractatu operam studiumque collocare, eò quod ingens sit causarum & controversiarum Feudalium dignitas, magnitudo, & præstantia. Verè enim jura Feudalia, quia in publicâ fide & fidelitate consistuut,

sunt

ſunt fulcra Romani Imperij, ſalus Principum, & anchora Reipublicæ. Siquidem feudorum jura ad primarium Nobilitatis ſtatum pertinent. Imò feudorum libris univerſus Politiæ militaris ordo & ſtatus, à ſummo ad infimum uſque continetur. Vnde præcipuè Nobiles, Magnates, & inclyti Heroës præ alijs huic ſtudio diligenter incumbere debent: quoniam ipſi ſoli in dignitate poſiti plerunque vel ampliſsima prædia feudalia poſsidēt, vel alijs egregijs & inſignibus Clientibus, quorum fidem, integritatem, animique magnitudinem in rebus arduis cognitam & perſpectam habent, prædia ſua beneficij loco conferunt. Quod ex vaſallorũ nomine intelligi poſſe videtur. Siquidem inde dictum eſſe Vaſallum Connanus ex Froſſardo interpretatur, quod ſe magno conatu totiſque animi viribus domino in re-

bus honeſtis devovebat. Horum Vaſallorum eximias animi atque corporis dotes, propter quas feuda accipiebant, itemque vitia, ob quæ prædium beneficiarium committebāt; illas quidem ad imitandum, hæc autem ad fugiendū, utraque verò ad omnes controverſias inter dominos vaſalloſque natas perſpiciendum ac dijudicandū, animo contemplari & circumſpicere, nunquid ſuave & fructuoſum, & ad conſervationem Reipublicæ imprimis utile & neceſſarium eſt? Non hîc agitur de ſtillicidijs, de tignis immittendis, de glande legendâ; non de aquâ pluviâ arcendâ, itinere actuque privato, ſimilibuſque minutis rebus hîc contenditur. Non hîc lis eſt de tribus capellis: verùm de univerſis prædijs, agris & poſſeſsionibus Optimatum, Magnatum ac Nobilium controvertitur. Quinetiam ſæpiſsimè de integris

gris vrbibus, provincijs, Baronijs, Comitatibus, Ducatibus atque Regnis hîc diſputatur. Vnde eleganter & accommodatè IASON in præludijs Feudorum inquit, quod cauſæ Feudales ſunt magni ponderis & momenti, quodque magnos ſolent præſtare proventus, & tranſmittunt pecunias in burſas & marſupia Advocatorum Feudiſtarum. Quinimò ſæpè unus caſus ſufficiens eſt ad ditandum hominem, ſi ſemel de facto in vitâ contingat. Et refert Albericus de Roſate in Repertorio ſuo Iuris Canonici, in verbo Feudum, quòd materiæ Feudorum ſint ſubtiles, arduæ, & lucroſæ, maximè in partibus Pedemontanis, & Germaniæ: in quibus oriuntur arduæ & graves quæſtiones inter Reges, Principes, Comites, Barones, & Prælatos, cùm ibi ſint maxima Feuda civitatum, oppidorum, & juriſdictionum.

Cæterum cogitanti mihi quibus potiſsimum hanc Methodum Feudorum dedicarem & inſcriberem, nulli tandem occurrerunt quibus iuſtius quàm vobis, Illuſtres & Ampliſsimi Domini Trans-Iſulaniæ, Ordines Mecœnates eximij haſce meas lucubrationes nuncuparem; Ad quod inſtitutum & propoſitum meum ſuſcipiendum tribus potiſsimum gravibus & juſtiſsimis cauſis ſum impulſus, & permotus.

Prima eſt, quod hoc antidorum & officium remunerationis dulciſsimæ meæ patriæ debebam, in quâ natus & educatus ſum, in quâ literarum & ſtudiorum meorum tyrocinia poſui, & liberalibus artibus ſtudijſque ſum initiatus. Ineſt in animo ac ſenſu cujuſque dulce quiddam de majorum ſuorum ortu, de progenie ac generis ſtirpe cogitantis. Imò dulcis & jucunda cuique

que patria est, in quâ quis non solum genitus est & primò lucem aspexit, verum etiam ubi quis educatus est, in quâ quis prima literarum & studiorum rudimenta posuit, à quâ quis non solum vivendi, sed etiam benè vivendi ortum, initium & progressum accepit. Eleganter Poëtarum princeps,

Nescio quâ natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Et præclarè Cicero, *Chari sunt parentes nobis, chari liberi & affines, sed una omnes charitates complexa est patria.* In quo secutus sum laudabile illud Potentissimi Persarum Regis Cyri monitum: Sicut enim ille dicebat se arbores suas Dijs immortalibus plantare, qui illi aliquid plantatum reliquissent, ita meritò duxi me hunc ingenij mei fœtum nomini vestro inscribere debere, in quorum scholâ, tunc temporis floren-

rentiſsimâ, prima ſtudiorum meorum fundamenta, Daventriæ ſcilicet, ſub piæ memoriæ parente meo Iohanne Bronchorſt Noviomago, Mathematico & I. V. Licentiato, collocavi.

Altera cauſa eſt, quod multis argumẽtis & experimentis rerum cognovi, vos eſſe inſignes & eximios ſtudiorum literatorumque hominum patronos, Mecœnates & fautores. Vnde ſub veſtræ protectionis clypeo & heroico patrocinio hunc meum laborem & conatum ab invidorum & ſciolorum calumnijs & obtrectationibus tutum & inviolatum fore indubitanter confidebam. Vos, inquam, eſtis eruditorum virorum optimi & liberaliſſimi Mecœnates: ad ſtemmatum, opum, clientelarum decora, eruditionis & virtutum ornamenta adjunxiſtis; ut multis alijs generoſis hominibus egregiè præluceatis, ac

ſingu-

ſingularis veſtra virtus & humanitas multis doctis, bonis, & pijs ſolatio ſubſidioque exiſtat. Verè regia res eſt tueri literas, & ſtudia; arteſque & ſcientias liberales promovere: quibus extinctis, miſerabili caligine cuncta confundentur, nec homines à brutis animantibus quicquam diſtabunt.

Porrò pręclarum & propenſum veſtrum erga bonas literas ſtudiaq; humanitatis favorem & affectum evidenter declarant & oſtendunt inſignes & illuſtres ſcholæ triviales, quæ in veſtrâ Reipublicâ ante paucos annos floruerunt. Teſtantur ſingularem quoque veſtram erga ſtudia & ſcholas amorē & benevolentiam tot doctrinâ, pietate & virtute pręſtantes viri, qui ex provinciâ veſtrâ prodierunt. Sic in veſtrâ provinciâ quōdam fuit in magno flore & valdè celebrata ſchola Daven-

trienſis. Eximij fuerunt in eâ Rectores Alexander Hegius, Rodolphi Agricolæ auditor, ſub quo Eraſmus Roterodamus decus & ornamentum Bataviæ, prima jecit ſtudiorum & linguæ Latinæ Græcæque fundamenta. Præterea celebres in eâ vixerunt Rectores, Iohannes Reydanus Medicinæ Doctor, Iohannes Bronchorſt Noviomagus, parens meus chariſsimus, ſub cujus Rectoratu circiter duo millia ſcholaſticorum ſcholam ejus frequentarunt. Teſtis etiam eſt celebris quondam ſchola Zwollenſis, ſub pijs & eruditis viris optimiſque Rectoribus, Iohanne Telgio, Iohanne Lingio, Boëtio Epone Friſio, Doctore Mommio, præclarè & inſigniter inſtituta & adminiſtrata. Egregium illic Collegium (vulgo domus Fratrum) pro ſtudioſis adoleſcentibus erectum eſt, unde doctiſsimi viri & optimi magiſtra-

tus in Christianam Rempublicam prodierunt, qui non modo Swollanæ vrbi, sed universæ Belgio, torique Ecclesiæ Dei, usui atque ornamento extiterunt. Claruit quoque Swollæ in politioribus literis Hermannus Torrentinus. Adhæc eadem civitas produxit magnum & celebrem ICtum Franciscum Sonsbecium, quo inter cæteros Doctores nullus exactius & subtilius Feudorum Iura Commentarijs illustravit. Campensis urbs tres celebres literatos viros nostro sęculo produxit, Albertum Pighium insignem Mathematicum, & Pontificiæ religionis progugnatorem strenuum. Stephanum Pighium filium, celebrem historicum, & in antiquitatibus Romanis apprimè versatum. Adhæc insignem literatorem Cruserium, in Græcâ lingua versatissimum, qui Plutarchi varia opuscula & vetera Græcorum scri-

pta

pta in Latinam linguam eleganter convertit. Hasseleti in Trans-Isulaniâ natus quoque est eximiè doctus Philosophus & sui temporis Theologus Franciscus Titelmannus. Ne quid de Gerardo Grotio Daventriensi (quem anno 1384. obijsse Trithemius notat, in Catalogo Illustrium virorum Germaniæ) dicam; deque ejus discipulo Thomâ de Kempis, cognomento Malleolo, qui aureum libellum de Imitatione Christi conscripsit, quemque idem Abbas commemorat circa annum 1410. floruisse.

Tertia causa, cur hanc Methodum, Nobiles & Amplissimi Domini Ordines, nomini vestro inscriberẽ, fuit, ut etiam aliquod meæ observantiæ monumentum, & gratitudinis testimonium erga Ampl. vestram extaret. Vestro namque consilio, prudentiâ, auctoritate, & bellicâ fortitudine fa-

ctum est, ut patria nostra ab Hispani truculenti hostis tyrannide & oppressione vindicata, & pristinæ libertati sit restituta, ac in bono, florenti, & fœlici statu collocata. Quia verò omnia domi militiæque prudenter & strenuè pro patriæ salute & incolumitate acta & gesta à Generosis & Amplissimis Viris Equestris Ordinis, nec non Coss. & Senatoribus urbium Transisulaniæ, brevi oratione comprehendi non possunt, pauca tamen insigniora & maximè memorabilia ex multis delibabo. Imprimis verò prætermitti non debet strenua & heroïca fortitudo militaris, Generosi Domini Gerardi de Warmelô, Satrapæ Sallandiæ, piæ memoriæ, qui fortiter & strenuè in multis prælijs & conflictibus se gessit: præcipuè dum bis & iteratò ductu & auspicijs ejus patria mea Daventria à crudeli hostis Hispani oppressione

in libertatem vindicata, & ſub Illuſtrium Dominorum Ordinum poteſtatem reducta eſt; Vnde & in præmium fortiter navatæ operæ, generalis Vicarius ſeu Gubernator totius Trans-Iſulaniæ ab Illuſtribus Ordinibus, & Generoſo Comite Mauricio Naſſavio delectus & conſtitutus eſt. Inter hos quoque Heröas & Magnates Trans-Iſulaniæ meritò annumerandus eſt Nobilis D. Iohannes à Sloten, Toparcha in *Sallick*, & Satrapa in Vollenhô, cujus memoria in æternâ benedictione eſt. Hic magnâ cum laude nomine provinciæ Trans-Iſulanię cum hoſte inducias belli pepigit & conciliavit, ac toti provinciæ noſtræ lætam & optatam pacem & concordiam, prudenter & fœliciter, æquiſſimis conditionibus impetravit. Denique juſto elogio & encomio non eſt privandus Nobilis D. Henricus de

Bentinck, hoc tempore Satrapæ Salládiæ dignissimus; Hic per triennium in Concilio Ordinum nomine Trans-Isulaniæ præsedit, prudentissimis & saluberrimis consilijs Rempublicam adjuvit ac defendit, ac denique firmam & stabilem pacem inter Generosum Comitem Emdanum, & ejus subditos, fœliciter prudenterque cum alijs Deputatis Ordinum stabilivit & conciliavit. Taceo quod multi doctrinâ, prudentiâ, & auctoritate præstantes Consules civitatum Trans-Isulaniæ, consilijs suis Reipublicæ fideliter inserviendo, in Senatum Ordinum allecti, summo usui, præsidio & ornamento patriæ existunt. In quorum numero fuerunt jam defuncti Coss. Daventrienses, viri incomparabilis prudentiæ, Dorrij, Scharffij, Rookij, & qui adhuc superstites sunt Stickij, Stegemanni, & Rusij, pro tempore ur-

bis Daventriensis Consules & Senatores dignissimi. In civitate Campensi ex Consulari dignitate Concilio Ordinum interfuerunt & adhuc intersunt, viri gravitate, doctrinâ, & multo rerum usu prestantissimi, Wittij, Clantij, & Tengnagelij. Denique in urbe Zwollanâ assederunt & adhuc assident provinciali Ordinum Concilio, viri doctrinâ, prudentiâ, & auctoritate excellentes, Culenij, Terborchij, Terhellij, Harsolti, Arnoldi Gerardi, & Durenij. Hi omnes & singuli universam provinciam Trans-Isulanam suis consilijs & decretis prudenter laudabiliterque gubernant, & adversus hostis Hispani tyrannidem & insidias, patriam optimè fœlicissiméque gubernant.

Quod superest, Vestram Amplitud. & Nobilitatem obnixè rogo & obsecro, ut hanc meam Methodum Feudorum

dorum in obſervantiæ erga vos teſtimonium, & benevolentiæ meæ erga veſtrã Nobilitatem μνημόσυνον exporrectâ fronte & ſerenâ mente excipiatis & amplectamini, ac Bronchorſtium, popularem ac ſubditum veſtrum, ſtudiaque ejus vobis commendata habere velitis. Oro autem Deum patrem, per ſanctum nomen unigeniti filij ſui, Redemtoris & Mediatoris noſtri unici, ut Eccleſiam, Rempublicã, pias familias, & Oeconomias veſtras diu florentes & incolumes protegat, defendat, ac conſervet: ad divini nominis ſui gloriam, ac Reipublicæ veſtræ proſperitatem, fœlicitatem, & ſalutem. Lugduni Batavorum ex Muſæo meo, Anno MDCXIII, Calendis Martij.

In Viri Doctissimi

EVERHARDI BRONCHORSTII

In Lugdunensi Batavorum Academia

Antecessoris DE FEVDIS Librũ

HVGONIS GROTII

Hollandiæ & Zelandiæ Fisci

advocati

EPIGRAMMA.

NArratam lachrymis madere ripam,
Deplorant quibus axe devolutum
Aurigam temerarium sorores,
Olim Brennus atrox subegit armis,
Ausus limitibus novis Comatos
Alpes ulterius locare Gallos.
Sensit mox Latias Padus secures,
Mundi portio parva servientis.
Postquam Romuleas fovere vires
Pertæsum Superos, & in minutas
Partes dissiliit superba moles,
Hîc regnum posuit, simulque nomen,
Hirsuto ferus ore Langobardus,
Duri Martia Teutonis propago.

Accepti

Accepti domino jubente ritus,
Et Germanica jura pro Latinis.
Ergo in prælia militum ducumque
Conjurata manus. domus & agri,
Acti non leve præmium laboris,
Venturi pariter fuere pignus.
Hæc Bronchorstius, explicata paucis,
Virtutis rigidæ magistra jura,
Ut nostram docuit diu juventam
In sancta Batavæ domo Minervæ,
Sic nunc dat populis videnda cunctis,
Famæ judicium nec erubescit.
Qui priscum legis anxius Solonem,
Et scriptas hominum cruore leges,
Et quæ mascula scita præstiterunt
Securos sine mœnibus Laconas,
Et bis quinque viris reperta quondam
Sed bis sex tabulis notata verba,
Hæc si discere non perinde curas,
Mirator nimius prioris ævi,
Extorri vagus eruditione,
Quæris dulcia, profutura nescis.

 Ad

Ad virum nobilem,

D. EVERARDVM BRONCHORSTIVM I. V. D. celeberrimum, & in alma Lugdunensi Batavorum Academia antecessorem primarium, olim præceptorem, & nunc collegam venerãdum.

Romanus varias gentes cum subderet armis,
Imposuit victis jura jugumq; suis,
Donec ea indociles jura & juga ferre Gothini
Scandiaci gestis gens generosa suis;
Et formidatæ Suenonis nomine gentes
Immensus Lybiæ terror & Italiæ,
Excussere jugum leges & sceptra togata,
Et campos Italûm distribuere sibi;
Romanosq; avidos prædones divitis orbis,
Quæ fecère alijs edocuere pati.
Hinc scitis firmata suis FEVDALIA IVRA
Quæ tribuunt FIDÆ *præmia* MILITIÆ.
Quod jus dum doctè Bronchorsti nobile FEVDI
Dispersum certis digeris ordinibus,
Omni jure tuum Bronchorsti nobile nomen
Heroum æternis inseris ordinibus.

C. PYNACKER, Pandectarum Professor.

Celeberrimo Iuriſconſulto, & integerrimo collegæ,

D. EVERARDO BRONCHORSTIO

DOMINICVS BAVDIVS, Hiſtoriarum Profeſſor, hoc amicitię magnę exiguum pignus libens meritoque donavit dedicavit.

OMnibus e ſtudijs quæ plurima repperit uſus,
Quæq; ſagax hominum cura laborq; colit:
Principe digna loco cenſa eſt prudentia legum,
Si verbi excipias fœdus utrumque ſacri.
Illa ſuis claros cultoribus addit honores,
Summa ſtat hoc fulcro res, populiq; ſalus.
Sed non exiguo molimine tanta parantur
Munera, nec ſegnes adjuvat alma Themis.
Felix quem placido ſpectavit lumine Diva,
Quæ magni ad ſolium fertur adeſſe Iovis.
Quem non tardavit ſeries operoſa laborum
Quo minus intraret limina ſancta domus.
Iam tibi per multos ea gloria contigit annos,
Bronchorſti, illuſtres inter honore viros.
Teſtantur docto ſacrata volumina ſæclo,
Quæ nullus memori demet ab orbe dies.

Testis erit, quem nunc profers in luminis oras,
Ille virûm cupiens ire per ora liber.
Hoc duce freta potest legum studiosa juventus
Romulei immensum volvere juris opus.
Si qua fides vatum, si qua est fiducia forti,
Laus tua per populos nobile nomen erit.

Ad Clarissimum Iurisconsultum,

EVERARDVM BRONCHORSTIVM, primarium in Academia Lugdunensi Iuris antecessorem, collegam honorandum.

INgens sacerdos & senator Astrææ,
Quæ destitutas æquitate post gentes,
Terras reliquit, & Diespitris ferrum,
Qua voces laudes quove prosequar versu
Illustre nomen, quod per ætheris magni
Terræque tractus & Salaciæ campos,
Solvi tremente fama consecrat plausu,
AEvo futuro, sæculoque non uni?
Te Cæsaris jus & Quiritium leges,
Videre nuper, instar inclyti Testæ

Aut

Aut Scævolæ prudentis, abditos ſenſus
Ediſſerentem, voce maſcula primum
E pulpito ſublimiore, mox chartis.
Nunc barbararum quicquid abditum eſt uſquam
In jure legum, quod vel æquitas ſuadet,
Vel longa conſuetudo, quæ vicem regis
Et imperantis obtinere conſuevit,
Vel autor uſus, quale Saxonum Feuda
Nunc eſſe nobis gloriantur haud fruſtra,
Orbi recludis, juris unicus Pæan:
Opuſque famæ ſæculoque commendas
Laborioſum Iupiter, nec haud terſum.
Quod dum Lyceo continere ſe neſcit,
Et clauſtra rumpit, orbe cernitur toto:
Vt Phœbus olim vel bicorniger vultus
Phœbi ſororis, inter aſtricas luces
Fugat tenebras intuentibus cunctis.

DANIEL HEINSIVS, Politices Profeſſor, ex tempore ſcribebat.

Nobi-

Nobilissimo & præstantissimo Iurisconsulto,

EVERARDO à BRONCHORST, Commentarium DE FEVDIS edenti,

ENCOMIVM.

Barbara vox Feudũ, sed non res Barbara Feudum;
Quod vel [a] *Alexandri fama loquetur anus:*
A quo vel Feudi species, vel origo petenda,
Quũ dederit ducibus prædia capta suis;
Et sola militibus positis in limite regni
Donarit largâ, non sine lege, manu:
Scilicet, hæredes ut publica bella capessant,
Et pro Romanis juribus arma gerant.
Non privatus iners hunc forsan speret agellum,
Militibus semper serviet ille suis.
Ignavi procul hinc, procul hinc qui pollice trunco
Imbelles fugitis nobile Martis opus:
Non vos hoc sapiens dignatur honore Severus;
Ad se bellicrepas concitat ille manus.
Et quod mireris, nihil huic [b] *vænale sub hastâ est;*
Præmia dat solis fortibus: emptor abi.
Non nisi delectu legitur sanctißimus ordo;
Purpuraq; Augusto displicet empta viro.
Nemo magistratum nummis, hoc Præside, speret
Cui sit vita levis, sacculus ære gravis.

[a] Lampridius in vitâ Alexandri Severi.

[b] Videndus idem Auctor.

Non

Non cauponantem patitur regnare Senatum:
Nam quod emit Iudex, vendere jure potest.
Invisum genus hoc cane pejus & angue Severo,
Qui vectigalem non sinit esse Themin.
Prò pudor! ah, cur non hæc displicet auctio Gallis?
Cur Vaticanus sic legit æra Pater?
Quamquam [c] *Hadrianus Vtrix alijs rationibus usus.*
Quis similis Sexto, vel prior, alter erit!
Optentur multi. Sed nos ad dona Severi,
Et data militibus rura, feramus iter.
Hæc si defendant ipsi, consultius esse
Imperio, & certam credidit ire fidem.
Quod quoque magnanimi quondam vidêre Quirites,
Queis propè mos belli tẽpore talis erat.

[c] Aurea vox Hadriani VI. Pontificis, *Dare se homines sacerdotiis & præfecturis, non sacerdotia & præfecturas hominibus.*

Scilicet hinc junctis deducta colonia bubus,
Captaq; in hostili jugera lata solo.
Hei miseros, fundis spoliat quos Roma paternis,
Eripit & totas pertica tristis opes!
Felices contra, quibus assignantur agelli,
Dives & optato germine ridet humus!
Hæc belli merces, pretiumq; haud vile laborum,
Quo suus & liber munere miles ovat:
Sed vetus, & nondum constrictus lege Severi,
Omnes qui certâ conditione ligat;
Militamq; jubet. Nec dispar [d] *cautio famæ*
Traditur, ut credas Principis esse probi.
Hæc Feudi species, imò incunabula prima:
Quæ nunc Bronchorsto vindice cuncta patent.

[d] Vide Vopiscum in vitâ Probi.

Illinc

Illinc (quid dubitas?) jam deducatur origo:
Res vetus, & priscis quæ stabilitur avis;
Iactat & auctores, queis frena tenentibus olim
Barbariem admissis Roma premebat equis.
Nobilis ut meritò, sed longis obsita sæclis,
Et sit nobilibus res ea digna viris.
Namque ut Nobilitas oculorum haud nascitur ictu,
(Sic mihi cum [c] Baldo fas, pia Roma, loqui;)
Principibusq; suis debetur Nobile Feudum: [c] In. Præl. Feud.
Sic hæc nobilibus non nisi digna viris.
Hoc tuus insignis vidit Daventria consul,
Ille Modestinus maxima Leida tuus:
Quo discedentis sarciri damna Donelli
Vidimus, & nostro vivere in orbe Themin.
Vidimus hunc nodos dubijq; ænigmata juris
Solvere, & æternum conciliare decus.
Nunc, ne quid restet, Feudorum protrahit usum;
Quo nihil omnino pulchrius esse potest:
Atque ita materie Doctor versatur in illâ,
Nesciat ut tradi nobiliore manu.
Quid tu Mome, negas? Dominumq; agnoscere spernis?
Mome crepa. & partes ipse Clientis agam.

PETRVS SCRIPTOR,

Lugduni Batavorum,
1613.

INDEX

INDEX CAPITVM,

quæ in hac Methodo Feudali continentur.

Cap. I.

De definitione & divisione feudi.

Cap. II.

Qui feuda dare possunt.

Cap. III.

Quibus feuda rectè dentur.

Cap. IV.

Quæ res in feudum rectè dentur.

Cap. V.

Quibus modis feudum acquiratur.

Cap. VI.

Quid iuris vasallus sequatur in feudo.

Ad

Cap. VII.

Ad quid vasallus nomine feudi domino obligetur.

Cap. VIII.

Quibus modis feudum amittatur.

Cap. IX.

Ad quem feudum commissum recidat.

Cap. X.

De feudis improprijs.

Cap. XI.

De controversijs feudalibus.

Cap. XII.

De actionibus feudi nomine tàm domino quàm vasallo competentibus.

METHO-

METHODICA FEVDORVM Expoſitio,

Conſcripta ab EVERARDO à BRONCHORST. ICto.

FEudorum conſuetudines tractaturus, jure quidem civili incognitas, prudentum tamen moribus receptas, commodioris doctrinæ gratia totum Feudorum tractatum in XII. capita dividam, paucula quædam de feudalis doctrinæ origine, Libris & Authoribus, ac de vocabuli Feudi etymo, præludiorum loco præmiſſurus.

Feudorum autem origo à Longobardis primum dimanavit. Hi Saxones fuêre poſiti ad ripam Albis, ubi nunc eſt Magdeburgenſis & Halberſtadenſis Epiſcopatus, qui ut bellicoſi homines ſemper extiterunt, Italiam ingreſſi ſunt duce Alboino, & ibi regum Longobardiæ excitarunt. Occupata verò nobiliſſima Italiæ parte ſub Imp. Iuſtino ſecundo, cum bella quotidie vel ab Italis vicinis, vel à Græcis ex Thracia, vel aliunde timerent, agros inter milites capitatim diviſerunt, pro cujuſque virtute, & agros ſive fundos hac via

acquisitos, eorum Lingua feuda dixerunt. Quæ consuetudo à vetustis Romanorum moribus orta est: Olim enim cum Romani ubique terrarum victricia signa circumtulissent, duces belli gratiam suis militibus referre volentes, pro opera in bello ac prælijs egregiè navata, assignabant illis prædia bello occupata, ea lege colenda & fruenda militibus, ut eos patronos ac dominos perpetuò agnoscerent, seque illorum homines, hoc est quasi clientes profiterentur. Quod constat ex *Vlpiano in L. item si verberatum 15. ff. de rei vend.* Si ager (inquit) militibus assignatus sit, modico honoris gratia possessori dato, &c. Item *ex Paulo IC. in l. Lucius* XI. *ff. de evict.* ubi inquit, possessiones ex præcepto principali partim distractas, partim Veteranis in præmia adsignatas. Vnde & Haloander in præfatione Novellarum, feuda jura militiarum nominari scribit, quæ Iustinianus appellat στρατείας, & Harmenopulus ea vocat στρατιώτικα κτήματα i. militaria prædia. Idque Romani tribus de causis fecerunt, primò ut attentius milites sua rura in hostico tuerentur, ut pulchrè Lampridius docet in Alexandro Severo, ubi ita scribit. Sola quæ de hostibus capta sunt, Limitaneis ducibus ac militibus concessit, ita ut eorum essent, si here-

heredes eorum militarent, dicens eos attentius militaturos, si etiam sua rura defenderent. Secundò ut in posterum pugnarent alacrius certa spe præmiorum proposita: oportet enim præmijs milites provocare ad strenuam pro Repub. operam. Tertiò ut recentis beneficij memoria Imperator sibi haberet militem devinctum. Hos fundos quos militibus assignarunt, Limitaneos seu Limitrophos Romani, Longobardi feuda appellarunt.

Feudis constitutis eo modo etiam jus feudorum erat necessarium. Nihil enim ad conservandam Rempub. majus est, quam juris justitiæque inter omnes certa & æquabilis distributio, atque id quidem eò amplius olim in feudis locum habebat. Nam quod sciam de Limitaneis Romanorum agris nullæ extant Leges in libris juris Iustinianei quam *d. L. item si verberatum* 15. *ff. de rei vend.* & *d. l. Lucius* XI. *ff. de evict.* & *l. in agris* 16. *ff. de acq. re dom.* Qua de re videatur *Cujatius lib. Observ.* 2. *cap.* 9. Itaque statim leges Longobardicæ scribi cœperunt, quarum mentio fit in usibus feudorum. Et quia leges singulis de rebus scribi nō possunt, accessit deinde feudorū quidam usus (cujus in hoc mundo maxima vis est) tacitè ab initio Populi consensu,

poſtea non obſcura omnium confirmatione comprobatus. Poſtremò ab Impp. certæ conſtitutiones ſuperioribus additæ ſunt, ut Henrici, Conradi, Lotharij & Frederici: quibus etiam expulſis Longobardis, Longobardorum jura tamen in hac parte placuerunt. Quæ omnia diffuſa cum eſſent paſſim ſine ordine, itaque incerta, ut vix omnibus paterent, Gerhardus Niger, & Obertus de Horto, uterque conſul Mediolanenſis reipub. (quæ regni Longobardici & exinde juris feudalis metropolis fuit) privato ſtudio rem omnem his libris notabiliter quidem, ſed nulla ratione ordinis, & elegantiæ habita concluſerunt.

Hinc illud quæritur, quæ apud nos ſit feudorum authoritas, & an in judicijs ad feudalium cauſarum deciſionem, & in ſcholis ad intentionis noſtræ comprobationem, ſicut reliqui Libri Iuris Civilis & Canonici allegari poſſint? Neque enim ſatis videtur Longobardis placuiſſe, ut ex eo etiam jus dicatur nobis, ſed aut à nobis ipſis tacito conſenſu jus conſtituitur, aut à noſtro principe ex Lege Regia.

Deinde placita feudalia conſcripta ſunt à privatis viris Oberto, & Gerardo, quibus condendæ legis non fuit auctoritas. Hæc ſententia Hoſtienſis eſt in ſum. tituli, de im-

mun.

mun. eccleſ. Sed fallitur. Valent apud nos feuda, totoque orbe Chriſtiano, non minus quam jus civile Romanorum, obtinent Legis auctoritatem. Certum enim eſt feudorum librum in imperio tacitè eſſe receptum & approbatum, ab Imperatorib. & principibus, & eam tacitam approbationem ſufficere, ejuſque tacitam auctoritatem eſſe tanti, quaſi expreſsè eſſet approbatus.

Longiſſimo etiam tempore, quod excedit hominum memoriam, publicè libri hi non ſolum paſſim in Imperio, ut in Germania, ſed etiam extra Germaniam, ut in Gallia, Italia, Hiſpania in Academijs publicè lecti ſunt, ſciente & non contradicente Imperatore, Itaque tacita approbatione videntur recepti. Nullus Princeps cauſare poteſt ignorantiam hujus rei: quod enim publicè fit, ejus cauſam nemo ignorare debet. *l. ſed etſi. §. proſcribere. ff. de inſtit. act.* Tempus illud memoriam hominum fugiens ſive excedens jus facere dicitur, & æquiparatur privilegio à Principe ex certa ſcientia conceſſo. *l. hoc jure §. ductus aquæ. ff. de aqu. quot. & eſt. c. ſuper quibuſdam. ex. de verb. ſign.* Relinquitur ergo uſus feudorum in imperio & extra imperium Legis auctoritatem habere, & non ſolum in ſeculari foro, ſed etiam eccleſiaſtico in deci-

dendis

dendis controversijs plenam vim & auctoritatem obtinere. Vnde etiam in corpus juris civilis sunt insertæ. *Zazius in proœm. feudorum nu. 3.* & omnes ligant & astringunt. *Curt. in 1. part. tract. feud. quæst. 1. nu. 12. & ult.* Longè enim omnem legum auctoritatem superat, id quod moribus unanimi consensu per multa jā sęcula receptū est. *l. de quib. & l. seq. ff. de legib.*

Hæc opinio eleganter defenditur a Sonsbechio *parte 1. feudo. nu. 22. Curt. d. loco. Zazio in epit. feudo. in præludijs. Fachin. lib. 7. contro. cap. 2. Oldend. in classib. clas. 4. de act. beneficiar.* ubi quoque notabiliter refert, quod hi diuturni usus feudorum confirmati sunt per Imp. Fridericum III. precibus Collegij Bononiensis. Ita quoque scribit Ioan. Cuspinianus in vita Imp. Friderici III.

Illud diligenter mente tenendum est, quis ordo servandus sit in judicijs, ad decidendas controversias feudales. Primò ante omnia debet inspici tenor investituræ, hoc est, quæ pacta expressa sint in instrumēto investituræ. Hæc enim una maxima est in jure feudali, quod à tenore investituræ non est recedendum, quæ derogat consuetudini & omni juri & naturæ feudorum. *tex. notab. in c. 1. de feud. cognit. text. insignis in c. unic.* ubi exclamat. *Bald. de duob. fratrib.* &c. His verò deficientibus consuetudo regionis attendenda est, ubi feudum

ėſt conceſſum. Statuta enim & conſuetudines derogant & prĉferuntur juri communi, in loco *ubi vigent. ut not. in l. de quibus ff. de legib. & in l. omnes populi. ff. de iuſt. & jur.* Deficiente cõſuetudine, ad ſcriptum jus feudorum ſtrennuus confugiet advocatus. *d. c. 1. de feud. cognit.*

Denique ubi non habemus expreſſam deciſionem Iuris feudorum, tunc ad jus cõmune Romanum ſcriptum confugiendum eſt. *d. c. 1. in fi. de feu. cognit.* Et hæc eſt ſententia Prĉpoſiti *in d. c. 1. verſ. ſtrennuis*, quàm approbat Præſes Everar. in locis legalibus, in loco à contrario ſenſu. *nu. 29. 30. & 31.*

Hæc ſufficiant de authoribus feudorum, & feudalium conſuetudinum vi & poteſtate dixiſſe. Videamus nunc feudum unde nomen habeat. Feudi appellationem Zazius à fide ſeu fidelitate, ſecutus *tex. lib. 2. feudo. c. 3.* deducit: fidelitas namque eſt de ſubſtantia feudi, & fides pacto remitti non poteſt, & nulla inveſtitura ei fieri poteſt, qui fidelitatem facere recuſat. *c. unic. §. fi. Per qu. fin. inveſt.* unde & Vaſalli fideles paſſim appellantur in libris feudorum. Alij à fœdere derivant, cum ex certis fœderibus inter dominum & vaſallum initis conſtet. Sed quid aliud de Feudorum appellatione à nobis dici poteſt, quam de allodijs, Vaſallo, curte, id eſt, curia

domini, pedagio. id eſt vectigali, felonia, id eſt atrociori delicto, caſtaldia pro cuſtodia, homagio, id eſt ſervitio, quod Vaſallus rependit domino, quæ voces aut incognitæ prorſus nobis ſunt, aut aliunde accipiendæ. Sunt artium vocabula, ut apud nos, actionis, interdicti, ſubſtitutionis, ſui heredis, quæ ab ipſis artibus neceſſariò petuntur.

Hiſce præludijs præmiſſis ad ipſam feudorum tractationem accedamus, eamque in capita XII. dividemus. Primum erit de definitione & diviſione feudorum. Secundum, Qui poſſint feuda dare. Tertium, Quibus rectè dentur. Quartum, Quæ res in feudum dentur. Quintum, Quibus modis feuda acquirantur. Sextum, Quid juris acquirat Vaſallus ex feudo: Septimum, Ad quid Vaſallus nomine ſui feudi domino obligetur. Octavum, Quibus modis feudum amittat. Nonum, amiſſum quibus debeatur. Decimum, De feudis improprijs. Vndecimum, De controverſijs feudalibus. Duodecimum, de actionibus, quæ pro feudo competunt.

CAPVT.

CAPVT I.

De definitione, & divisione feudi.

FEudum est concessio beneficiaria, per quam jus utendi fruendi in perpetuum re immobili transfertur in accipientem, proprietate apud dantem remanente, sub fidelitate & exhibitione servitiorum honestorum. Probatur hæc definitio. *in §. fin. In: qu. cau. feud. amit.*

Dicitur esse concessio beneficiaria rectè, quia oritur ex beneficio feudum, ac tantum ex domini liberalitate. Ex quo sequitur, feudum emptitium, id est pecunia comparatum, non esse proprium & rectum, sed magis improprium & degenerans feudum, quia non est gratuitum. Hinc etiam fit, quod feudum non possit pignori dari sub lege commissoria, h. e. debitor non potest fundum suum creditori oppignorare hoc modo, ut si pecunia statuo tempore non solvatur, fundus sit feudalis, & creditori cedat in feudum, quia feuda non sub prætexu pecuniæ, sed amore & honore domini acquirenda sunt. *tit. de feudo dato in vic. L. com. reprobando.*

Res Immobilis. Hoc ideò additur, quia res

mobilis in feudum non datur, & hoc eſt, quod dicitur feudum non poſſe niſi in rebus ſoli conſiſtere. *c. unic. inſi. de feu. cognit.* quia mobilia ætatem & ſenium non patiuntur, ſed facilè corrnmpuntur. Qua in re ab Vſufructu diſtat, quia Vſusfructus in ſervis, jumentis, pecoribus, alijſque perituris rebus conſtituitur.

Ius utendi fruendi in perpetuum. In hoc differt feudum ab Vſufructu, quod Vſusfructus, quatenus eſt ſervitus perſonalis, ultra perſonam fructuarij non extenditur. *§. ult. Inſt. de Vſufr.* Feudum autem eſt jus utendi fruendi, quod ad vaſallum, & heredes ejus in perpetuum pertinet. *d. §. ult. In qu. cau. feud. amit.*

Fidelitate. Poſtremò ad feudum requiritur interpoſitio fidei. In eo eſt differentia feudi & emphyteuſeos. *Datur emphyteuſis* ad rei meliorationem, ad majorem & uberiorem culturam agrorum. Vnde & nomen accepit, παρὰ τῦ ἐμφυτεύειν. i. ab inſitione arborum. Feuda pertinent ad rem militarem, & conceduntur gratis propter militaria officia. Emphyteuſis vero conceditur propter annuam penſionem. Sunt & aliæ differentiæ inter feudum & emphyteuſin, quia fœminæ in emphyteuſi ſuccedũt, at non in feudo. *De quibus vide Præſidem Everar. in Topic. in loco à feudo ad emphyt. & contra.* Hæc

Hæc de definitione; Percurramus nunc ea, quæ propria ſunt hujus contractus. Curtius 7. ponit proprietates feudi in 1. parte ſui tractatus feudorũ, quæſt.6. nos XI. collegimus.

Prima eſt, quod cum res traditur in feudum, Vſusfructus tranſeat in Vaſallum, ſed proprietas retinetur ab eo, qui rem concedit in feudum. §. *ult. In qu. cau. feud. amit.*

Secunda eſt, quòd Vaſallus fidelitatis nomine ſolenniter ſacramentum præſtare cogatur. *lib. 2. tit. 3. in fin.*

Tertium proprium eſt, quod Vaſallus tenetur domino exhibere ſervitia. Vnde feudum francum improprium eſt feudum, & degenerat à recta feudi natura. Eſt autem feudum francum, in quo Vaſallus ad ſervitia non tenetur, fidelitatem tamen domino ſervare tenetur, dictum francum quaſi liberum. Sic Comitatum Hollandiæ feudum francum imperij eſſe, notat Præſes Everardi in locis legalibus, in loco à liberto ad Vaſallum, ubi tradit, quod Comes Hollandiæ eſt vaſallus francus Imperatoris. Huc facit quod Imp. Carolus V. edicto perpetuo. Anno 1518. officia militaria, vulgo Servitia dicta, in univerſum abrogavit, vaſalliſque omnibus remiſit. Vti notat Neoſtadius *in tracta. de ſucces. feudi. cap. 1. nu. 18.*

Quar-

Quartum est, quod servitia non sint conditionata, aut certa forma præscripta: debet enim Vasallus præstare servitia ex arbitrio domini, quæ dominus imperaturus erit. *lib. 2. tit. 23.*

Quintum, quod Vasallus non possit feudo privari sine culpa. *lib. 1. Feud tit. 24.*

Sextum, quod feudum sine consensu domini non alienatur. *c. 1. de probi. feud. alie. per Lotha. c. 1. in princ. de probi. feud. alie. per Fride.*

Septimum, Vasallus debet intra annum & mensem investituram petere. *lib. 1. t. 22.*

octavum, quod fœminæ non succedunt in feudis, nisi aliud convenerit. *Lib. 1. t. 8. de succes. feudi. § filia.*

Nonum, ut feudum consistat in rebus immobilibus, aut ijs bonis, quæ vicem immobilium referunt. *c. unic. in fin. de feud. cognit.*

Decimum est, ut feudum perpetuum sit, & ad heredes transitorium in infinitum. *c. 1. § fin. In qu. cau. feud. amit.*

Vndecimum, ut sit gratuitum, & originem habeat ex benevolentia domini, non sit pecunia emptum. *c. 1. de feud. dato in vic. leg. commis.*

Hic autem utilis movetur qnæstio, an si pactum aliquod apponatur, quod sit contra proprietates & naturalia feudi, an nihilominus

nus in alijs retineat naturam feudi. Et breviter dicendum, quod licet pactum contra naturalia feudi apponatur, firmus tamen manet contractns in alijs capitulis; licet impropriè. *tex. in c. 1. de feudo non hab. propr. natu.* vbi dicitur, licet feudum propriam naturam non habeat, jure tamen feudi censetur: & sic licet in quibusdam feudi natura per pactum est immutata, in alijs tamen firma permanet. *text. in c. 1. §præterea. Quid sit investit.* Itaque in feudis etiam admittuntur pacta contra naturam contractus, & servari debet investituræ tenor, licet naturæ feudi repugnet. *c. 1. de duob. fratr. à Capit. invest.* quem text. ibidem iubet Baldus notandum ad hoc, quod investituræ tenor deroget cuicunque naturæ feudorum. *Curt. in tract. feudo par. 1. quæst. 6. nu. 28.*

Nunc ad divisionem feudorum transeamus, ubi operam dabimus, ut non minus vera, quam optima ponamus. Iurisperiti fudistæ malè ac contra artis præcepta feuda dividunt: nam ex singulis qualitatibus proprias statim divisiones constituunt, quasi verò circumstantiæ novam faciant speciem. *l. fin. ff. de fund. instr. Alvarot. 22. genera ponit. Baldus* XI. adeò ut arborem faciant, non minus ridiculè, quam si ex singulis pactionibus, novas contractuum species ponas.

Divi-

Dividitur primò feudum in proprium & improprium. Proprium eſt, quod purè ſimpliciter & directò conceditur, nulla temporis aut ſervitionum determinatione. §. *pen.* & *ult. tit. Quid ſit inveſtit. c. 1. §. fin. & ibi. Gl. de Capitan. qui Cur. vend.* Et hoc eſt tranſitorium ad heredes. *c. 1. in fi. In qu. cau. feud. amit.* neque auferri poteſt, niſi feloniæ, id eſt, perfidiæ damnato. *lib. 1. tit. 7. de natura feudi.*

Ex quo apparet in ejuſmodi feudis hoc requiri, ut dignitas cum feudo ad heredes inveſtiti tranſeat, quod fieri videmus in Ducibus, Marchionibus, & ſimilibus. Quando verò neque feudum, neque dignitas tranſit ad heredes, ſed ſolum ad vitam Vaſalli durat, quale eſt feudum Guardiæ, id eſt, cuſtodiæ, habitationis, & Soldatæ, & ſimilia. *c. 1. de feu. Guard. c. 1.* Quis dicatur dux, &c. vel cum conditionibus & obſequijs nominatim definitis feudum datur, *c. 1. in fi. Quid ſit inveſtit.* eò caſu potius appellari debet adminiſtratio, licet ſit collatum per modum feudi, mediante inveſtitura. *Alvaro. de alien. feudi.*

Proprium feudum aliud eſt antiquum ſeu paternum, aliud novum. Antiquum dicitur, quod ab aliquo ex aſcendentibus, qui ultra quartum gradum communis agrationis

fuit

fuit origo, quæsitum est. Et vulgò dicitur, *een alt Stamlehen gudt*. Paternum est, quod ab aliquo ascendentium usque ad quartũ gradum incepit: Verum antiquum feudum ferè cum paterno confunditur. *c. 1. de succes. feudi.* Præsumitur autem in dubio feudum esse antiquum, si Vasallus sit in possessione feudi. *c. 1. in fi. quem text. Bald.* ibi dicit esse mirabilem, *de succes. frat.* Secus si dominus sit in possessione, quia tunc ob directum dominium, quod habet dominus, præsumitur pro domino. *Alvaro. in c. 1. de succes. frat. Alcia. in tract. de præsump. nu 28. præsumpt. reg. 3.*

Nouum feudũ est, quod incepit in persona beneficiarij, nec ad eum pervenit ex successione, *c. 1. de suc. feu. c. 1. § novã. tit. qui test es sunt neces.*

Differt autem feudum novum ab antiquo seu paterno in hoc potissimum, quod ad novi feudi successionem non nisi filij ejus, qui ipsum primò acquisivit, alijque ex eis descendentes admittantur. *c. vnic. de succes. feudi. c. vnic. de succes. fratr.* Verum ad feudi antiqui vel paterni successionem non solum descendentes, sed etiam agnati collaterales admittuntur. *c. vnic. de natu. succes. feu.*

Vtrunque potest esse regale, aut non regale. Regale est, quod ab Imp. vel Rege conceditur, habens præter simplicẽ jurisdictionem, digni-

dignitatis titulum, ut Ducatus, Marchionatus, Comitatus. *c. 1. de feud. March. c. 1. de L. Corra.* Hujusmodi regalia feuda sunt illa, quæ Principes Germaniæ tenent, sive seculares sint sive eccesiastica: nam & hi bona sua feudalia ab Imper. re cognoscunt. *Gail. lib. 1. Obs. 30.* Imò & regna quædam sunt feuda regalia. Sic regna Daniæ, Poloniæ, Bohemiæ, & Burgundiæ solent esse feuda imperij, *teste Cujat. in tit. de feudis.* Non regale est, quod nihil dignitatis vel eminentiæ adfert, sive à principe ipso, sive ab inferiore concedatur. *c. 1. De his qui feud. dare poss.* Inter hæc feuda differentiæ adferuntur hæ. I. Quod in feudis regalibus semper opus sit nova investitura. *c. 1. de feud. March.* Hodiè tamen usurpatur, ut non sit opus. Et in Germania receptum, ut non nova investitura solenni, sed tantum renovatione simplici petantur, concedanturque ab Imp. exceptis duobus, Electore Saxoniæ, ac Magisterij Teutonici. II. In regalibus solus Princeps, & hodie etiam Camera imperij, quæ cum Imperatore concurrentem habet jurisdictonem, est judex: de reliquis judicant pares curiæ, qua de re *inf. c.* XI. *de controvers. feudal.*

Feudum improprium est, quod à naturali feudi cognitione degenerat, quod militare non

non eſt, Veluti cujus cauſa fidelitas & homagium non juratur, quod unius anni ſpacio, vel morte, vel præſtituto tempore finitur: qualia ſunt feuda, Caſtaldiæ, Guardiæ, Cameræ, Cavenæ, & Soldatæ. *lib.1.tit.2.tit. Quis dicatur dux, &c. in fi.* De his etiam 1. cap. X. dicetur. Hæc de feudorum diviſionibus.

CAP. II.

Qui feuda dare poſſunt.

PErſonæ quæ feuda conferre poſſunt, ſunt duplices, Eccleſiaſticę & Laicę. Eccleſiaſticæ ſunt Papa, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Abbas, Abbatiſſa, Præpoſitus, & Clericus. *c.1. De his qui feud. dare poſ. in princ.* Papa, quia cum omni prælatura Eccleſiaſtica concurrere dicitur, ex plenitudine ſuæ poteſtatis feuda cujuſlibet eccleſiæ concedere ditur. *Bald. in d.c.1.* Eccleſiaſtici rectè feuda ex proprijs rebus conſtituunt. *tit. de Cleric. qui inveſtit. fec.* Ex rebus eccleſiæ, ſi id ferat conſuetudo, id eſt, ſi antiquitus ſolitæ ſunt infeudari, vt ait *tex. de ijs qui feud. dare poſ. in princ.* Res autem tunc dicitur infeudari ſolita, ſi 40. an-

nis in feudum dari consuevit, & binus investiendi actus accesserit. *Zaz. par.5. feud.nu.25.* Sicut enim jura & res ecclesiæ non præscribuntur minori tẽpore, quam 40. annis. *Auth. quas actiones. C. de SS. eccl.* sic nec jus dandi in feudum citius debet præscribi, quia præscriptio est modus alienationis. *l. alienationis 28. de V. S.* Ex quo apparèt novum feudum ab Ecclesiasticis non rectè dari, ut decrevit Vrbanus Papa in synodo Lateranensi. *tit. Episc. abba. vel dom. &c.* ut nec veteri feudo adjicere novum pactum possunt, cum damno Ecclesiæ. At vetus feudum rectè largiuntur, quod jam ante feudum est. Idque sine consensu capituli prælati ecclesiarum facere possunt. *c. 2. in verb. liberè. ex. de feud. c. 1. §. in clericorum. Si de invest. int. dom. & Vasal. lis oriatur.*

Hactenus de personis Ecclesiasticis, nunc de Laicis videndum. Harum quatuor sunt gradus. Primus est summorum Principum Regum & Imperatorum, qui soli feuda regalia, ut sunt Ducatus, Marchionatus & Comitatus conferunt, & qui talia feuda ab his accipiunt, dicuntur Capitanei regni, ut sunt Duces, Marchiones, Comites. *c. 1. de feud. Marchiæ.* Duces sunt qui de ducatu aliquo investiti sunt. *c. unic. Quis dicatur dux, &c.* Dicti

sunt

ſunt à ducendo exercitu. Origo eorum profluxit à Romanis, qui propter præclara belli geſta Capitaneis ſuis & ducibus territoria, & provincias regendas donarunt, ita tamen ut ab eis in feudum recognoſcerent. *Zaz. in epit. feud. par. 5. nu. 6.*

Marchionum appellatio deſcendit à marca. Veteres appellarunt limites ſuarum provinciarum marcas, iiſque præpoſuerunt præfectos militum, qui limites ab hoſtilibus incurſionibus defenderẽt, quos dixerunt Marcgraphios, Latinè Limitaneos Præpoſitos. *l. Viros. C. de diverſ. offic. lib. 12.* Hinc Marcgraphius Rotuilenſis & Badenſis conſtituti vidẽtur ad tuendos fines Rheni. *Zazius d. loco. nu. 10.*

Comites dicti ſunt à comitatu Principis, eorumque origo cœpit à Germanis. Habebant enim olim Germanorum duces, XII. belli comites, qui cum duce ad bella mittebãtur, nec à latere ejus unquam diſcedebant. *Tacitus in Libel. de Morib. German.* Poſtea ſunt illis civitates & provinciæ adminiſtrandæ datæ, productaque eſt comitatus ſignificatio ad majorem dignitatem.

Secundus gradus eſt Ducum, Marchionum, Comitum, qui ut dictum eſt ſunt Capitanei regni: qui ab his feuda accipiunt, Valvaſores majores dicuntur. *c. unic. Quis dicatur*

dux, &c. barbaro vocabulo, quaſi ad valvas domini ſtantes, cuſtodiæ & reverentiæ exhibendæ cauſa, digni qui intrent propter beneficium acceptum à domino. *Andr. de Iſern. in c. unic. De his qui feud. dare poſs.* Hos Zazius putat eſſe Barones noſtri temporis. *quos Baldus in c. notuit. ex de feu.* ita definit, ut Baro ſit, quiſquis merum mixtumque imperium in caſtro aliquo ex conceſſione Principis habet. *een bander-heer*, oft *vryheer. Oldend. clas. 5. tit. de action. beneficiar.*

Palatini porrò, ut hoc etiam addam, dicuntur proceres palatij, quorum conſilio regitur Reſpub. *Gl. in l. fina. in verb. palatini. C. de reſc. vend.* Dicuntur Palatini, quod in ſacro palatio conſtituti ſunt, vel in eo militant. *l. unic. C. de caſt. omn. palat. pecul.*

Tertius gradus eſt Valvaſorum majorum & Baronum, & qui ab his feuda accipiunt, dicuntur valvaſores minores. *d. c. unic. Quis dicatur dux, &c.*

Quartus gradus eſt valvaſorum minorum, & qui ab his infeudantur, Valvaſores minimi, aliâs Valvaſini dicuntur. *c. unic. de feud. dat. minim. Valvaſor.*

Breviter feuda dare poſſunt à ſummo principum gradu ad infimam plebem, dummodo liberam ſuorum bonorum adminiſtratio-

nem

nem habeant. *c. unic. in princ. Per quos fi. invest.*

Hactenus de personis, quæ propter ætatem & judicium suorum bonorum ad ministrationem habent, nunc de pupillo, minore, prodigo, furioso quęrendū, an feuda dare possint? Et quidem minores XXV. annis, etiamsi sui juris sint, feuda non dant, feuda inquam non constituunt de novo. *per. l. 3. §. 4. ff. de reb. eo. qui sub. tute. l. 3. C. Quand. decre. non est opus.* Imò & minores qui tutorum vel curatorum auxilio reguntur, ne quidem cum horum auctoritate & consensu feudum de novo dare possunt, absque decreto Prætoris. Hæc est communis DD. sententia. *per text. in c. 1. § novi. Per quos fi. invest. Vulte. cap. 3. de feudis.* Non inquam sine decreto Prætoris feudum constituere possunt. Nam id genus est alienationis. *d. § novi.* Alienari autem minorum res immobiles (in quibus feudum tantum consistit) sine Iudicis decreto ac causæ cognitione non possunt. *l. 1. ff. de reb. eor. qui sub tute.* In veteri feudo res est paulò intricatior, existimantibus his posse, negantibus illis; Rectius sentire videntur illi, qui feudum vetus vasallo mortuo, à minore XXV. annis successori dare posse existimant, etiam sine tutoris & curatoris auctoritate, quia non videtur

 aliena-

alienare, qui veterem alienationem renovat. *arg. l. 1. §. aquæ ductus ff. de aqu. quot. & æst.* & minor non alienat hoc casu, sed quod alienatum erat à parentibus, juris necessitate impellente approbat. Ita sentiunt Hanneto. *lib. 1 feudo. c. 5. Borcholt in tract. de feud. c. 5. nu. 43. Vultejus de feud. c. 3. nu. 7.* Dissentiunt Hotoman. *in d. c. 1. Per quos fiat invest. Duare. c. 6. nu. 10. Sonsbec. par. 6. feudo. nu. 7.* Non obstat edictum Prætoris *in d. l. 1. ff. de rebus eor. qui sub tute.* nam id ad solutionem debiti paterni non pertinet: pupillus enim sine tutoris vel prætoris actoritate debitum paternum solvere potest. *l. 5. §. pupillus ff. de reb. eorum qui sub tute. sunt.* Vetus feudum debetur heredi proximo, ex eorum voluntate, qui feudum ab initio constituerunt. Non obstat etiam, quod quoties pupillus vel minor suam conditionem possunt deteriorem facere, vel quoties obligantur ex aliquo contractu, toties requirendam auctoritatem tutoris. *§. 1. Inst. de auct. tuto.* Nam pupilli & adulti rem suam hoc casu faciunt meliorem. Vtile est, atque interest minoris, quod semel debetur, solvere, & quod tradendum est semel, dare maturius, ut vasallum obligatum ad defensionem salutis suæ, ac fortunarum habeat maturius. Vasallus præterea

præ-

præstare tenetur domino juramentum fidelitatis, quo facto conditio ipsius minoris melioratur. Quod si fortè minoris intersit feudum datum non esse, hoc casu sine curatore nulla videtur intelligi facta fuisse feudi concessio, quippe cum nec liquidum debitum sine eo solvi possit. *l. obligari 9. §. pupillus ff. de auct. tuto.*

De fœmina, an feudum dare possit, quæretur? Et respondetur, quod possit. *text: est in §. fœmiam tit. Per quos fiat investit.* Nec obstat quod dicitur *in tit. De investit. in marit. facta. c. unic. An apud jud. vel cur. dom. quæst. feud. term. deb. & in c. ult. de prohib. feud. alien. per Frider.* Eum qui feudum dat, habere jurisdictionem, quod in fœminam cadere non posse explorati juris est, cum jure civili Romano fœminæ ab omnibus muneribus & officijs civilibus vel publicis arceantur. *l. fœminæ. ff. Reg. jur.* Inveterata enim consuetudo retinenda est, donec per contrariam consuetudinem tollatur. Moribus autem introduci potest, ut fœminæ magistratum gerant, & judicandi officio fungantur. *c. dilecti. ext. de arbitris.*

Sic usu receptum videmus, in Anglia, Lusitania, Hispania, Scotia, ut fœmi-

næ regia ſceptra teneant. Ita Angelus Iohannam Siciliæ reginam ſedentem in ſolio ſe vidiſſe refert, & ferentem ſententiam contra Dominos de Balſo, ut notat Decius *ad d. l. fœminæ.* Quinimò in Belgicis noſtris provincijs ſæpè fœminæ ſceptra imperij tenuerunt, & non inſolens eſt Belgis γυναικοκρατεῖσθαι, id eſt, à fœminis regi. Sic Maria ſoror Imp. Caroli V. aliquot annis gubernacula tenuit in provincijs Belgicis, & poſt eam Margareta Duciſſa Parmenſis. Similiter Illuſtris domina Iacoba Bavara Hollandię Comitatum aliquandiu rexit & gubernavit.

Non obſtat etiam, quod fœmina feudi capax non eſt, & exinde quod non habet, alteri dare non poteſt. *arg. l. nemo plus juris. ff. de reg. jur.* Dubium enim non eſt, quin fœmina feudum habere poſſit, ſi ita expreſsè in inveſtitura convenerit, ut fœmina in feudo ſuccedat, abſque ea expreſſa conventione ſuccedere nō poteſt in feudo. *lib. 1. tit. 8. de ſucces. feud. §. filia.* Moribus quoque fœminæ feudorum ſunt capaces, non ſolum minorum, verum etiam majorum, ut Regnorum & ducatuum, &c. Inde regnum Bohemiæ Imp. Henricus VIII. habitis Spiræ comitijs Aº. 1310. mortuo rege Bohemiæ, ejus filiæ Eliſabethæ feudum primum poſtulanti conceſſit, verum dato ei marito filio ſuo Iohanne.

CAP.

Cap. III.

Quibus feuda rectè dentur.

IN hoc capite tenenda eſt hæc generalis regula, quod unuſquiſque de feudo inveſtiri poſſit, cujuſcunque ſexus, ætatis, conditionis, aut qualitatis ſit, niſi expreſsè inveniatur prohibitus. *c. 1. §. perſonam. Per qu. ſi. inveſt.*

Feudum accipit ſummus Pontifex, & Imperator ab inferioribus, hic à Comitibus, ille ab Eccleſijs, quo caſu juramenta fidelitatis præſtabunt, & per ſubſtitutum ſervient. *Zazius par.* V. *feudorum. in fine.*

Clericis an ijs rectè feuda conveniant, quæritur? quorum profeſſio eſt divinis tantum contemplationibus vacare, non curis hujus ſæculi, huic domino ſervire, à quo vitæ ac ſalutis perpetuæ feudum habemus, non à quo fundum tenemus. Peperit hæc quæſtio magnam apud interpretes opinionum diverſitatem. Præpoſitus octo columnis rem tractavit. Zazius nihil definit, affirmant alij, alij negant Clerico vel monacho feudum dari, cum ſint ad pugnandum inhabiles. *c. ex multis §. fin. ex. de votis*, quorum arma ſunt la-

chrymæ & preces, non tela non gladij. *c. clerici. 33. quæst. 1.*

Explicabitur hæc quæſtio tribus regulis. Prima regula erit hæc. Huic qui jam Clericus eſt, feudum datur novum, utroque jure, tàm Canonico, quam Longobardico. *c. ex tranſmiſſis. ex de foro comp. lib. 2. feud. tit. 40. de capit. Corradi in fi.* Nam Clerico qui dat feudum, manifeſtè dat ea mente, ut quia Clericus feudo perſonaliter præeſſe, debitaque ſervitia præſtare non poteſt, propter ſuſceptos ordines, jam ſerviat ſaltem per alium.

Altera regula ſit huic qui jam Clericus ſit, non dabitur feudum vetus vel paternum. *c. unic. §. fi. de feud. fœm. ubi eſt pulcher text.*

Tertia regula. Feudum quod quis habebat ante Clericatum, ſive vetus, ſive novum, expirat, ſi fiat Clericus, aut votum religioſum aſſumat. *c. unic. §. qui Clericus. Si de feud. defun. conten.* &c. *c. unic. de Vaſal. mil. qui arma bell. depos.* vbi dicitur, quod deſinat eſſe miles ſeculi, qui factus eſt miles Chriſti. *c. unic. An mutus vel al. imperf.* &c. Ratio horum in eo eſt, feudum datur perſonæ, ſanguini, familiæ, itaque perſonale debetur ſervitium, non extraneum. Nam clericus factus amplius id præſtare non poteſt, quod per

per se præstandum suscepit. Nihil hic communis ista & planè frigidà DD. solutio valet, quod per substitutum saltem serviat clericus, quia certa regula traditur à DD. quod habiles ad succedendum in feudo demum possint servire per substitutum, secus quando sunt inhabiles ad succedendum, uti est clericus, quia tunc non possunt servire per substitutum. *Curt. in 3. parte feudo. 2. memb. nu. 20.* Idque probatur *per tex. in l. 2. §. 1. ff. de adm. rer. ad civ. pert.* vbi traditur pro regula, quod qui per se aliquid exercere prohibetur, is nec aliorum ope ac ministerio id efficere potest. Et ut eleganter ait *Baldus de mil. vasal. qui arm. depos.* Illi soli Vasalli per substitutum idoneum servire possunt, qui si vellent, nullo vel naturæ, vel juris impedimento obstante, per se servire possent. *tex. est in c. 1. § firmiter. de prohib. feud. alie. per Frider. tex. rotundus. in c. 1. in fin. An mut. vel al. imperf.*

Eadem ratio est secundæ regulæ. Ideò feudum vetus non debetur Clerico, quia per se feudo præesse non potest. At quisquis olim primus fuit feudi author, certæ familiæ ac sanguini dedit, non ut eo nomine serviat extraneus, cujus indoles aut generositas animi sit incognita, familiam elegit certam dominus ex multis, in quam continuetur successio-

cessionis ordine feudi munus, id est beneficium feudi & onus. *l. munus 18. ff. de verb. sign.* Eaque sententia, quod Clericus in feudo non succedat, probatur *à Mins. centu. 5. Obser. 48.* ubi dicit ita in Camera imperij pronũtiatum. Defendunt præterea hanc sententiam *Pistor. par. 2. feud. q. 33. Afflict. decis. Neapol. 320.* ubi ita judicatum fuisse refert. *Dissentit. Scurf. cent. 1. cons. 68. Mart. Laud. in tit. qui feud. dare poss. §. & quia. nu. 19.* post plures alios quos allegat. *Sonsbec. par. 12. feudo. nu. 144. Chass. in cons. Burg. §. 5. in verb. excepté les religieux. tit. des fieds.* Eandem opinionem defendit *Frider. Schenck. in c. 1. de vas. mil. qui arm. bell. depos.* Quod non videri debet alicui mirum, quia Schenck fuit Episcopus Vltrajectinus, magnus fautor & patronus clericorum. Vide etiam de hac quæstione variè differentem *Fachinæum lib. 7. contro. c. 35.* vbi quatuor causas refert, quibus clerici in feudo seccedere possunt. Quod limitatur ita, nisi ex pacto vel consuetudine possit servire per substitutum, quia tunc Clericus in feudo succedet. Pulchrè *Curt. d. lo. nu. 23. Iaco. de S. Georg. in tracta. de feud. in verb. Et quibuscunque heredibus, num. 4.* Feudum autem in quo Clericus succedere non potest, si novum est, devoluitur ad dominum, si vetus, redit ad agnatos. *c. unic. de vasal. mil. qui arm. bell. depos. Curtius d. loco. num. 31.*

Secun-

Secundò illi quoque feudum de novo recipere poſſunt, qui ex accidenti, vel etiam à natura, muti, ſurdi, cæci, claudi, dementes, vel aliâs imperfecti ſunt. *Baldus & Alvaro. in c. unic. §. fin. Epis. vel abba.* Dominus enim illorum defectum ſciens, & ijſdem feudum concedens, ipſis etiam gratiam facere creditur, ut ſi per ſe commodè ſervire non poſſint, per ſubſtitutum ſaltem ſerviant. Et hæc in feudo novo. Quando verò quæritur, An mutus, ſurdus, cæcus, demens vel aliter imperfectus in feudo ſuccedant, hæc tenenda eſt diſtinctio. Aut hi à natura ita procreati ſunt, & tunc in feudo non ſuccedunt. *d. c. unic. §. fin. Epis. vel abba.* Aut caſu aliquo ſine culpa ſua accidenti ita facti ſunt, & tunc quidem feudum ante imperfectionem ſucceſſione vel inveſtitura acquiſitum retinent, & per ſubſtitutum ſervitia præſtabunt. At in feudo nondum acquiſito non ſuccedunt, ſive imperfecti nati, vel caſu aliquo facti ſint ante acquiſitionem feudi. Et ita intelligi debet. *c. unic. §. fin. Epiſc. vel Abba.* Vel ut brevius & apertius dicam. Imperfecti quocunque modo, ſive à natura, ſive ex accidenti, in fendo non ſuccedunt, ſed retinent feudum jam ante acquiſitum, ſi poſt acquiſitionem, & poſſeſſionem feudi, vitium illud imperfectionis vel inhabilitatis

bilitatis ſuperveniat. *c. unic. in verb. totum feudum paternum retinebit*. An mutus vel *al. imperf.* Ita decidit eleganter *Vulte. de feudis c. 9. nu. 64.* & hoc modo hæc duo capitula diſſidentia, videlicet. *c. unic. §. ult. Epiſc. vel Abba. cũ c. unic. An mut. vel al. imperf. rectiſsimè conciliat.*

Tertia quæſtio eſt de filiofamilias, cui rectè feudum datur, ſcilicet quia non negatur expreſsè. Edicti prohibitorij ea vis eſt, ut de quo nominatim non interdicit, in eo mutet naturam ſuam, & de prohibitorio fiat permiſſorium. *l. mutus 43. §. 1. ff. de procur.* At an Vſusfructus feudi patri debeatur, non una eſt omnium ſententia. Verius eſt non deberi. Ita eſt communis DD. opinio referente. *Zaz. par. V. feudo. num. 64.* fruſtra diſſetiente Sonſbekio *par. 7. feu. nu. 7.*

Nam feudum, quia datur propter ſervitia militaria, & contemplatione militiæ. *(arg. l. 1. C. de caſtr. pecul. lib. 12. Vulte. c. 4. de feud. nu. 8.)* caſtrenſe peculium eſt, in quo patri Vſusfructus non competit *§. 1. Inſt. Quib. non eſt permis. fa. teſt. l. cum multa. C. de bo. quæ lib.* Nam ea quæ occaſione militiæ filio obveniunt, in ſolidum ad filium pertinent. *d. §. 1. & d. l. cum multa.* Caſtrenſe eſt inquam peculium, ut & cætera quæ occaſione militiæ obveniunt, nulla diſtinctione habita rei mobilis aut immobi-

mobilis. *d. l. 1. C. de cast. pecul.* Altera ratio est, quia filius laborem fert, præstando servitia militaria, & in illis præstandis electa censetur industria personæ. Ergo æquum est præmia, hoc est, commoda & fructus feudorum ad eum pertinere. Adde quod feuda ejus naturę sunt, ut ad ascendentes non transeant. *lib. 2. feud. tit. 50.* Non obstat, quod jus feudorum de hac quæstione nihil statuit, ideóque jus commune videtur servandum. *c. unic. §. strenuus. de feud. cognit.* Iuri siquidem communi, quemadmodum & feudorum conventio inter Dominum & vasallum præfertur. Convenisse autem inter dominum & vasallum videtur, ut Vsusfructus apud filium remaneret. *c. unic. §. fin. In quib. cau. feud. amit.* Ita post Baldum, Matthæum de Afflictis, tradunt *Borcholt. c. 5. feudo. nu. 48. Fachin. lib. 7. contro. c. 77.*

Illud quoque non eodem modo tractatur, an pupilli & minores, qui sub tutoribus & curatoribus sunt, possint sine eorum consensu feuda accipere, quod verius est. Nam hic contractus eis nocere non potest, quia suscepto feudo, si grave est servitium, facilis est via non minori tantum, sed & cuilibet, ut feudo liberetur, si servitium neget, ut dicitur in *c. unic. Quib. mod. feud. amit.*

Quod in his minus habet turpitudinis, qui alio-

aliorum parent arbitrio: quia jure legitimeque contractum negant, qui illis ſit diſpendio. Notandum tamen eſt, quod ab his non exigatur juramentum fidelitatis, niſi cum facti ſint majores, id eſt, cum ad pubertatem pervenerint. *lib.2. tit. 26. §. ſi minori. Vulte. cap. Quibus feuda dentur. num. 6.*

Tandem dictum fuit in regula initio hujus capitis propoſita, niſi fortè nominatim aliquibus feuda accipere prohibitum ſit, quæ adjectio omnino neceſſaria fuit. Etenim multæ ſunt perſonæ, quæ feudorum capaces non ſunt, ut hæretici, excommunicati, banniti, publico crimine damnati, nati ex nefarijs & inceſtis nuptijs, & ſimiles de quibus prolixè *Io. Blanch. in Epito. fudor. c. 5. nu. 11. cum ſeqq. uſque ad finem.*

CAP. IV.

Quæ res in feudum rectè dentur.

VT melius intelligatur, quæ res in feudum concedi possunt, quæ non, sic res tota summatim distinguenda est. Quædam sunt res soli seu immobiles, quædam solo cohærentes, quædam immobilibus adnumerantur, quædã denique sunt mobiles.

Res immobiles regulariter conceduntur in feudum, ut fundus, domus, castrum, territorium, stagnum, lacus, fluvius, *c. unic. in fin. de feud. cogn.*

Res solo cohærentes rectè quoque dantur in feudum, ut ædificia, quæ utique sine solo considerari nõ possunt. *§. cum in suo. Inst. de de rer. divis.*

Item fructus pendentes, qui sunt pars fundi. *l. fructus. 44. ff. de rei vend.* in feudum constitui possunt. *Gl. in d. c. unic. §. sciendum. in verbo cohærentibus. de feud. cogni.*

Res quæ immobilibus adnumerantur, solent etiam in beneficium concedi, veluti pensiones de Camera, hoc est, ex loco, in quem thesaurus pecuniarius Principis reponitur, vel de Cavena, in quam Principis frumen-

tum, & alia annona reponitur. *d. C. unic. §. sciendum.*

Item pensiones & reditus annui in feudum quoque dari possunt, quoniam inter res immobiles censentur, maximè si de re immobili solvantur. *Clem. exivi de paradiso. §. cumque annui reditus. de Verb. sign. l. ult. §. præterea. C. de Iur. dot. Zaz. par. 4. feudo. nu. 16. 17. & seqq.*

Item proventus Vectigalium vel tributorum in feudum concedi possunt, & in summa quilibet fructus annuus vel menstruus, quodlibet item jus corporale vel incorporale, ut aurifodinæ, item jus piscandi, venandi, cædendi lapidis, jurisdictio potest in beneficium dari. *arg. l. 3. §. dare. ff. de V sufr. Oldend. 5. act. 18. arg. l. 7. §. non solum. cum aliquot §§. seqq. ff. Sol. matr.*

Res mobiles non possunt beneficiario jure concedi. *d. §. sciendum à contrario sensu.* primum, quia non posset manere proprietas apud dominum, quod natura feudi postulat, deinde si Vasallus eis uteretur, usu consumerentur, & facilè sequi posset oblivio beneficij, eaque ratione feudum interire contingeret. Sin verò eis non uteretur, nullam eidem utilitatem præstarent.

Ita

Ita demum autem res soli, & quæ ijs æquiparantur, in feudum dari possunt, si fuerint in hominum commercio. Ideoque res sacræ, religiosæ, publicæ, in feudum dari nequeunt, quia nullius in bonis sunt. *§. nullius. Inst. de rer. divis.* nec alicujus fieri possunt. *l. quod nullius 182. ff. de R. I.* quia alienari non possunt. *§. sacræ. Inst. d. tit.* Item res quarum alienatio lege, statuto, consuetudine, vel etiam testatoris dispositione prohibita est. Quæ enim alienari non possunt, nec possunt in feudum concedi. *C. unic. §. sed etiam res. Per qu. fi. invest.*

Hinc sequitur fundos dotales prædia minorem 25 annis in feudum quoque concedi non posse. *toto tit. ff. & C. de præd. & al. reb. min. sine decre. &c.*

Res Ecclesiæ quoque in totum prohibentur alienari, ergo nec in feudum dari possunt. At rectè alienantur ex præscriptione primùm, inde vrgente necessitate. Vtrunque eadem de causa locum facit feudo. *C. ex parte. §. aliud quoque. ext. de feud. Iaco. de Belvi. & Alvarot. in c. 1. Qui feud. dare pos.* Accedit feudum ante Vrbani papæ tẽpora constitutum, scilicet quia postea prohiberi cœpit per Concilium Lateranense. *C. sanctorum. dist. 7. d. c. unic. Episc. vel Abba.* Postremò & feudum

reversum ad ecclesiam, nondum tamen incorporatum, & ad ecclesiæ mensam redactum, denuò in feudum rectè datur; quippe non videtur alienare, qui non utitur occasione acquirendi. Censentur autem feuda incorporata ecclesiæ, quando bona hujusmodi sunt in regestis, in libris censualibus ecclesiæ per prælatum vel ejus officialem descripta. *Præpo.in d. c.1.* Et hæc dicuntur bona de mensa Ecclesiæ. *Borcholt. de feud. c. 6. nu. 28.*

Hactenus de his quæ lege prohibentur alienari, eadem ratio est eorum, quæ statuto alienationem non recipiunt. Fallit in statuto protomiseos, nam moribus passim receptum est jus retractus, contra *l. dudum. C. de contr. empt.* ut qui proximiores sunt sanguine, emptori præferantur, oblato pretio in venditione rei familiaris. Alienari igitur ex hoc statuto prædium non potest in extraneum, invito proximo agnato, at in feudum dari potest eo invito. *§. sed etiam res. Per qu. fi. invest.* scilicet quia hoc casu non excedit familiam feudi dominium.

Res aliena purè in feudum dari non potest, ad hoc ut illa fiat feudalis, sed sub conditione facta valet, puta si res illa mea futura est, in feudum eam habeto. *arg. l. rem alienam 28. ff. de cont. emp.* Quod si ignoranti Vasallo rei

rei alienæ feudum datur, obligatus man et dominus ad æqualis præstationem. *tit. de invest. de re al. fac.* Sin sciyit Vasallus rem esse alienam, nihil petet, nisi sibi pacto specialiter de evictione prospexit. In persona domini idem est, sciverit an ignoraverit rem esse alienam Potest & ita in re aliena feudum vel potius feudi spes constitui, ut de feudo iam alteri quæsito alter investiatur, qui post possessoris mortem habeat tantum, sine prioris Vasalli consensu. Quod non solum in laicis, sed etiam in ecclesiasticis beneficijs locum habet, hoc discrimine servato, quod in laicis valeat hæc feudi concessio, sive ipsi domino, sive heredi ejus feudum aperiatur. In ecclesiasticis verò tunc demum valeat, si vivente adhuc Clerico, qui in diem vel sub conditione dedit, feudum aperiatur: nam mortuo Clerico qui dedit, ante primum beneficij possessorem, heredes ejus non tenentur ratam habere investituram. *tit. Si de feu. def. conten. sit lib. 2. tit. 26. §. moribus. Quib. mod. feud. constit. pos. lib. 1. tit. 25. tit. Qui succes. tenean. lib. 1. tit. 9.*

Ratio diversitatis est, quod Clericus sive prælatus tantum administrator sit rei ecclesiasticæ, non dominus, ideoque non nisi pro tempore suæ administrationis beneficium

 dare

dare potuit. *arg. l. eum qui 13. ff. de jurisd.* Contra laicus, qui dominus est, heredem suum etiam obligat, contra quem etiam actio incipere potest. *toto tit. C. ut act. ab hered. Baro lib. 2. de acqu. benef. c. 13. in fine.*

CAP. V.

Quibus modis feudum acquiratur.

DE feudo novo dicendum est prius, inde de feudo veteri. Acquiritur feudũ novum duobus potissimum modis. Primo, præscriptione Vasalli. Secundo, Domini liberalitate. *c. unic. §. fin. de feud. cognit. c. unic. in princ. de consu. rect. feud.*

Præscriptione acquiritur feudum novum, si quis 30 annis rem domini pro feudo, h. e. titulo feudali teneat, & ei servitia præstet, iste jam feudum præscripsisse dicitur, quamvis nunquam de eo investitus fuerit. *c. 1. §. si quis per 30. Si de feu. def. conten. sit lib. 2. tit. 26.* Præscriptio autem 10 vel 20 annorum non sufficit in feudis. Ratio est, quoniam præscriptio rerum feudalium durior est, & majoris præjudicij, quam allodialium. Vasallus enim domino ad multa obligatur, sicut & vice versa dominus Vasallo obstringitur, atque ideo 30 annorum spatium requiritur in præscriptio-

ne, si feudum sit seculare; sin ecclesiasticum, 40. *ex Novella. 111. & 131. Zaz. par. 6. feudo. Minſ. cent. 4. Obſ. 29.* Quæritur an quoque sit necessaria bona fides ad feudi præscriptionem? Et vulgò receptum est, ut ea quoque sit necessaria ex jure Canonico. Nam jure civili ad longissimi temporis præscriptionē neque titulus, neq; bona fides requiritur. *l. 3. C. de præſc. 30. an.* Ita communiter tradunt *Feudiſtæ ad d. §. ſi quis per 30. & ad c. unic. §. ult. de feud. dat. in vic. leg. commis.*

Excipe res Ecclesiæ & Reipub. quia illę nō præscribuntur, nisi 40 annis. *Auth. quas actiones. C. de ſacr. eccl. c. 4. ex. de præſcrip.* Similiter dominus adversus Vasallum feudum præscribit. Verbi gratia, si dominus nihil juris habens in feudo, eo utatur 30 annis, usurpans directum dominium, & servitia, hoc tēporis spatio acquiri directo dominium dicimus; & hanc sententiam communis DD. schola amplectitur, licet nihil de eo decidatur in text. feudalibus. Ita tradit *Duar. c. 8. feudo. nu. 2.* Idq́; ex mutua relatione, quæ est inter dominum & Vasallum, & quod correlativorum eadem est doctrina. *l. ult. C. de ind. vid. toll.* Porrò Vasallus contra dominum non potest præscribere dominium directum. Vnde licet Vasallus servitium longo tempore non præstiterit

 ei, à

ei, à quo erat investitus, non potest se 30 annorum præscriptione tueri, & præscribere libertatẽ adversus dominum. Et hæc est communis DD. sententia, referente Duareno in feudis *c. 16. nu. 5.*

Ratio est, quia servitium est in arbitrium domini collatum, ut cum opus est, id postulet: ergo natura ejus non patitur ut locum habeat præscriptio. Quia ea quæ sũt meræ facultatis, non possunt præscribi. *l. 2. ff. de via publ.*

Econtra rectè dominus adversus vasallum præscribit, nam dominus qui rem feudalem tanquam liberam, 30 annorum spacio possedit sine interpellatione aliqua, ea possessione ejus rei libertatem præscripsisse censetur, eaque pręscriptione ejusdem utile dominium cum directo consolidatur. *Bald. & Præpo. in c. unic. §. si quis per. 30. Si de feu. defun. conten. sit. Vulte. c. 9. de feud. nu. 17.*

Vetus feudum acquiritur successione. Successio duplex est ex testamẽto, & ab intestato: priori loco dicetur de ea quæ ab intestato est. In hac prima causa est descendentium, ut filius succedat patri Vasallo ante omnes in feudo. Excipiendi sunt duo casus.

Primus est, si initio matrimonij ita convenit inter virum & uxorem, ne filij ex eo matrimonio nati succedant in feudo. *tit. de fil.*

nat. ex matrim. ad morgan. contracto. Verbi gratia, si maritus qui ex nobili uxore filios habuit, postea secundam ducat fortè ignobilem, is enim filios ex ea nasci turos excludere à successione potest. Quæ dispositio jure civili Romano improbata est: pacta enim de futura successione iniqua & turpia sunt, quia inducunt votum captandæ mortis. *l. pactum quod dotali. l. ult. C. de pact.* Ideoque talia pacta prava loci consuetudine recepta, non sunt ad alia loca extendenda: & dicit Baldus potius hanc esse nequitiam, quam consuetudinem.

Secundus est in feudo regali: In hoc olim prorsus nulla erat successio. *§. 1. de feud. march.* scilicet quia temporalia erant munerum vocabula, non ut nunc perpetua dignitatis perpetuæ; hodie quia perpetua sunt, admittitur successio, divisio non admittitur. In cæteris feudis est liberorum seu descendentium successio, qui ejusdem gradus sunt. *tit. de feu. succes.* In feudo regali, quod annexam habet dignitatẽ, filius major natu primogenituræ beneficio, feudo solus gaudet, cæteri excluduntur prorsus. *§. præterea ducatus. De prohib. feud. alie. per Frider.* Ratio est, ne in plures divisa hereditate, ob inopiam rei familiaris familiæ claritas obsolescat. Deinde quia politia unius est optima, & plurimorum politia difficile

est ut bona sit, cum plures ad virtutis meritum pervenire difficile sit. Quod comprobat *Aristot. in metaphys.* vbi inquit,

Multos imperitare malum est, rex unicus esto.

Quia Principum multitudo Reipub. onerosa est. Pulchrè Homerus,

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

In apibus unus est princeps, & grues unam sequuntur ordine literato. Roma autem condita duos fratres simul reges habere non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebeccæ verò utero Esau & Iacob bella gesserunt. *c. in apibus. 7. q. 1.* Cæterum quod dicitur primogenitū succedere in talibus feudis, non sic accipe, quasi omnibus fortunis alij liberi debeant destitui innocentes, sed legitima quædam portio bonorum illis est designanda, qua utātur fruantur pro sua dignitate. *arg. c. unic. An mutus vel al. imperf.* Intellige tamen supra dicta, videlicet feudum regale non posse dividi, esse verum quoad dignitatem, secus quoad administrationem, & exercitium jurisdictionis: ut unus frater regat unam provinciæ vel ducatus partem, vel unam civitatem, alius aliam. *Alvaro. in d. §. præterea ducatus.* Ita servant fratres Landgravij Hassiæ, qui provinciam & ditionem suam distribuerunt in certas partes.

Quæri hoc loco rectè potest, si contingat vivo

vivo patre filium primogenitum decedere, relicta sobole virilis sexus, deinde & ipse pater decedat relicto altero filio, uter sit admittendus, an nepos Regis ex primogenito, an verò Regis filius secundo genitus? Resp. Etsi *Cujacio lib. 2. feudo. tit. 11.* contrarium placeat, receptior tamen est sententia, ut adversus patruum filius patris primogeniti præ-defuncti obtineat. *I. son. in l. is potest. ff. de acqu. her. Præpos. in c. 1. de feud. March.* Nam jure primogenituræ cæteri filij semel exciderunt, cœpitq; id competere fratri natu maximo; eo sine liberis mortuo, tanquam sublato impedimento, potior esset casus ejus, qui proximè sequitur. At quia liberos reliquit, facit jus repræsentationis, ut patris sui loco omninò habeantur. Quod nisi ita esset, excluderentur à patruis. Hodiè tamen plerisque locis primogenitus ad totius Regni, vel Ducatus seu Comitatus successionem non vocatur, sed præcipuum aliquod habet. Ita observatum fuit in Guilhelmo Lantgravio Hassiæ, Philippi primogenito filio, qui inter cæteros tres fratres dimidiam Hassiæ partē obtinuit. Porrò sciendum in hac quæstione, An nepos filij primogeniti præferatur in feudi successione patruo, plerunq; & communiter DD. decidere pro nepote. Ita tradit *Bart.*

in Auth.

in Auth. post fratres. C. de legit. hered. quem sequitur Sichardus in l. maximum vitium. nu. 5. C. de lib. præter. Vbi tamen addit Bertachinum in suo repertorio dicere, tempore Othonis Imp. cum esset illa quæstio mota per quosdam Barones, & non haberet legem certam Imp. qua responderet, partibus commisisse rem duello, quo nepos magna tamen difficultate vicit, & sic deinde ex ea victoria constitutum est jus: quod Bertachinus refert se à quodam audivisse; sed cum nusquam id extet, opus esset in hac ardua & ambigua quæstione decisione Imperiali. In hanc sententiam *Witichindus Saxo lib. 2. hist. scribit*, Cum circiter annum 942. in Germania contentio exorta esset inter patruos & nepotes de legitimarum hereditatum jure, tum ejus disceptandæ causa Imp. Othonem primum comitia Germanica indixisse: deinde, cum in comitijs inter principes convenire non posset, duello rem commisisse. quæ fuit illorum temporum consuetudo frequentissima. *Vide Hotom. in illust. quæst. c. 3.* Quod ad successionem in Electorali dignitate attinet, hæc quæstio certa est atque definita per constitutionem aureæ bullæ Caroli IV. Imperatoris; nempe ut nepos ex primogenito in successione dignitatis Electoratus patruum excludat. *And. Knich. in*

com-

comment. Elect. Dux. Saxon. c. 3. ubi hoc affirmat etiam procedere, licet pater vivo avo decedat. *allegans Bald. cons. 389. nu. 8.*

Præter hos duos casus vera est regula, descendentes in infinitum succedere æqualiter, si ejusdem sint gradus. *tit. de succes. feudi.*

Quod etiam jus obtinet, etiamsi in cæteris bonis instituti sunt inæqualiter. *Bald. in l. ut jurisjurandi. ff. de oper. libert.* quia pater testamento naturam feudi non potest mutare, ut infra dicetur. Ejusdem autem gradus ita intellige, ut in successione avi filius nepotem excludat, atque ita deinceps, non quod filius ex filio mortuo in successione avi cum cæteris filijs non concurrat, nam in linea recta locus est repræsentationi in infinitum. *tit. de succes. feu.*

Quæritur hic convenienter, an filius repudiata patris hereditate in feudo ei succedat? & respondetur, non permitti ei retento feudo repudiare hereditatem paternam, si eam sibi videat onerosam fore. *lib. 2. tit. 45. & 51. §. filius.* Sed cur filio id non permittitur, cum permittatur agnatis? Resp. In filio propter arctissimum sanguinis vinculum, visum est id tendere in injuriam patris, contraque pietatem paternam, propter æs alienum repudiari hereditatem patris, qua re pater afficeretur

gravi

gravi ignominia, si bona ejus distraherentur, quasi solvendo non fuisset. *Inst. Quib. ex ccu. manu. non lic. in princ.* Ast defunctorum Vasallorum agnati ijsdem tam arcto sanguinis vinculo conjuncti non sunt, ideoque eorum hereditate repudiata, sine aliquo onere hereditario feudum paternum consequi & retinere possunt. Porrò limitatur hæc decisio, ut non procedat quando filius de bonis paternis fecit inventarium, tunc enim repudiata hereditate paterna, potest retinere feudum. *Zaz. par. 8. feud. nu. 9.* ubi dicit filium hoc casu retinere feudum, ex privilegio inventarij. Idem confirmat *D. Neostadius in tractatu de succes. feudi Hollandici. c. 3. nu. ult.*

Videndum nunc est de emancipatis liberis, exheredatis, præteritis, adoptivis, ac naturalibus. Emancipati succedunt nihilominus: nam emancipatio jus sanguinis non tollit, sanguini dantur feuda. Non obstat quod dicitur cognatis feuda non deberi, sed solis agnatis. *lib. 2. tit. 11.* & emancipatus desijt esse agnatus. Nam agnati sunt hoc loco omnes, qui ex maribus descendunt, qui per idem nomen cognationis familiam retinent; cognati sunt, qui ex fœminis prognati sunt, hi non retinent nomen, & in aliam familiam transeunt. Quæ sententia *Curtij*, *Zazij*, *aliorumque*

rumque communis verior eſt, quam quod diſputat *Sonſbecius*.

Exheredati autem & præteriti juſtè ſuccedunt in feudum, niſi ex juſta cauſa exheredati eſſent, quæ ignominiam ingereret. Eſt enim feudalis regula, Ex quibus cauſis filius exheredatur, ex ijſdem & feudo privatur. *c. 1. §. prædictis. Quæ fu. pri. cau. benef. amit.*

Adoptivi in feudis non ſuccedunt. §. *adoptivi.2.feud.tit.26*. Ratio eſt quia adoptio non adfert jus ſanguinis. *l. qui in adoptione 23.ff. de adopt.* Quo fit, ut etſi jam antea ſint adoptati, quam pater feudum accipiat, tamen ex tacita domini voluntate, & communi conſuetudine ſuccedendi in feudo, ſcilicet ut in ſanguinem tranſeat, abundè apareat aliud eſſe actum.

Naturales filij ex concubina nati in feudis non ſuccedunt, ſive extent alij liberi legitimi & naturales ſimul, ſive non. §. *naturales. Si de feu. def. conten. ſit.* Quod procedit ſive feudum ſit paternum, ſive maternum. Vnde licet filius naturalis vel ſpurius de jure communi in bonis allodialibus matri ſuccedat, *l. ſi qua illuſtris.C. Ad SC. Orſit*. in feudis tamen non ſuccedit, etiamſi feudum ſit fœmineum, materq; nullos alios liberos relinquat. *Andr. de Iſer.*

Iser. in d. §. naturales. Cujus juris ratio hæc est, quod domino paribusque curiæ minus honorificum sit in suo sodalitio sive consortio esse homines natalibus maculatos. At quid si legitimentur? ne tunc quidem admittuntur. *d. §. naturales.* Quod communiter intelligitur à DD. de his qui legitimantur à Principe, non de legitimatis per sequentes nuptias; scilicet quia subsequens matrimonium omnem maculam tollit, & purgat omne vitium. Ita tradunt *Iacob. de Belvi. Andr. de Iser. & communiter DD. in d. §. naturales.* Et secundum hanc sententiam quotidie consulitur & sententiatur, teste *Scurf. cons. 1. centur. 1. nu. 17.* Pro qua etiam sententia adsessores in Camera imperij pronuntiarunt, teste *Minsing. cent. 5. obs. 42.* Quæ quidem sententia in praxi judicando & consulendo observanda est, sed tamen secundum decisionem textuum feudalium verior & certior est sententia, quod legitimati per subsequens matrimonium à successione feudorum arceantur. Id manifeste probat *text. in d. §. naturales.* Vbi cum in genere negetur legitimatos in feudis succedere, consequens est omnes species sub eo genere comprehensas, hoc est, tam legitimatos per subsequens matrimonium, quam legitimatos per rescriptum Pirincipis, & legitimatos

per

per oblationem curiæ à ſucceſſione feudorum arceri, per certiſſimum & infallibile axioma logicum, quod à quocunque removetur genus, ab eo removentur omnes ejus ſpecies. *l. ult. C. de uſur. rei jud. l. 1. §. fin. ff. De ſu. & leg. hered. ubi not.* Ita eleganter tradunt *Vultc. c. 9. de feud. nu. 94. Sonſbec. de feud. par. 9. nu. 73. Hotom. conſil. 10. volu. 1.* Ideò autem non ſuccedunt legitimati per reſcriptū Principis, quia Principum beneficia ita reſtringenda ſunt, ne noceatur alijs. Princeps non debet mihi auferre rem meam, & jus mihi quæſitum, niſi ſpecialis aliqua cauſa, vel commodū Reipub. intercurrat: optimus eſt text. *in l. nec avus. C. de emanc. libe. in l. 2. §. Si quis à principe. ff. Ne quid in lo. pub.* Si autem legitimati per reſcriptum Principis in feudis ſuccederent, magna fieret injuria agnatis, quibus ex pacto & providentia primi Vaſalli ſemel jus ſuccedendi in feudo quæſitum eſſet. Quod ſi liberi vel agnati conſentiant in legitimatione naturalium, tunc ad ſucceſſionem feudi hi quoque admittuntur. *arg. c. 1. de alie. feu. pater. arg. l. nam ita Divus. ff. de adop. l. nec avus. C. de emanc. lib. Sonſbec. in tract. de feud. par. 9. nu. 67. 68. & 69.*

Sed dubitatur, ſi legitimati ſint naturales, antequam de feudo ulla incidat quæſtio, an

tunc cum legitimis ad feuda rectè admittantur? Et verius est, quod naturalis non succedat in feudo, licet tempore investituræ inveniatur legitimatus, licet refragetur *Curtius 3. par. princ. memb. 2. nu. 39.*

Quæritur hic commodè, An filius clericus una cum fratribus suis laicis patri in feudum succedere possit? Et inspectis placitis feudalibus, verior est sententia eum non posse succedere. Ratio est perspicua, cum enim Vasallus Clericatus supervenientis ratione feudo antea quęsito ex incontinenti privetur. *c. unic. de Vasal. mil. qui arm. depos.* à fortiori & clericatus antea adeptus eum impediet, quo minus feudum antea non quæsitum per successionem acquirere possit. Ratio rationis est, quia impeditus divinis ministerijs non potest domino personalia servitia præstare. Nec refragatur, quod per alium substitutum posset servire. Nam ut eleganter Baldus tradit, communiterque receptum est in *c. unic. de Vasal. mil.* Illi soli Vasalli per substitutum idoneum servire possunt, qui si vellent, nullo vel naturæ, vel juris impedimento obstante, per se servire possent.

Post descendentes sequuntur ascendentes, h. e. parentes, sed hi in feudum nunquam succedunt filijs. *c. 1. in princ. de nat. succes. feudi.*

Ratio

Ratio eſt manifeſta, quia ſi feudũ antiquum eſt, tunc impoſſibile eſt, quod pater ſuccedat filio, vel avus vel proavus, cum feudum à patre vel avo mortuis in filium defluat. Sin feudum novum eſt, ideò ſuperioribus non debetur, quia Dominus à filio voluit incipere, patre excluſo: proximus igitur ac ſolus gradus eſt poſt deſcendentes collateralium.

Vnus tamen caſus reperitur, quo pater filio ſuccedit, videlicet ſi pater filiorum favore feudo renuntiet, quia filijs vivo patre ſine prole præmortuis feudum ad patrem revertitur. *Præpo. in c. 1. de Vaſal. decrep. æta. arg. l. dotem quam dedit. 6. ff. de collat. bon. l. ult. C. de uſufr. l. ſed ſi plures 10. §. in adrogato. ff. de vulg. & pup. ſubſt.* Atque ita in ſupremo judicio imperij, in facti contingentia aliquando determinatum fuiſſe refert *Minſ. lib. Obſ. 3. c. 93.*

In collateralibus primi ſunt fratres. In feudo novo frater fratri non ſuccedit, niſi hoc nominatim in inveſtitura ſit expreſſum. *§. ſin autem unus. De his qui feud. dare pos.* Id ex eo venit, feuda acquiruntur nobis, & noſtris poſteris tantum, hiſce deficientibus redeunt ad dominũ. Et ſi duo fratres ſimul ab initio in uno eodemq́; feudo inveſtiti ſunt, vel ſimul habitantes, communiterq́; vivẽtes, unus eorũ feu-

dum acquisiverit, tamen alter alteri non succedit. *c. vnic. §. si duo fratres, de frat. de no. benef. invest. c. 1. § Filia. de succes. feu.* Quod tamen fallit, si feudum de novo concessum indivisibile sit, vt si jurisdictio, jus patronatus, jus venandi, piscandi, vel aliud jus incorporale in feudum concessum sit. *Iaco. de Belvi. Baldus & Alvaro. in d. §. si duo fratres.*

Si quoque novum feudum duobus vel pluribus, & singulis in solidum concessum fuerit, Domino excluso, alter alteri non decrescendi jure succedet, id est eo jure, ne superstiti fratri aliquid decrescat. *Bald. in c. unic. de succes. feu. per l. creditor 60. §. duobus. ff. Manda.* Tertio fallit in duobus fratribus, investitis hoc pacto, vt ipsi, & post eorum mortem filij etiam habeant feudum, tunc enim & frater fratri succedit. *c. vnic. de duobus frat. à Capit. invest. Iaco. de Belvi. lib. 1. feudo. t. 1.*

Quinimò si ignorante Domino emtum sit feudum ab uno fratre ex communibus bonis, non admittitur alter frater ad feudũ, nec vivo nec mortuo emptore. *lib. 2. tit. 12. §. quodsi.* Restituitur tamen fratri superstiti pars pecuniæ eum cõtingentis. *d. §. quodsi.* Ratio est, ne Dominus invitus alium quam voluerit, Vasallum sibi acquirat. Sin verò de communibus bonis unus fratrum emat feudum sciente domino,

mino, tunc hoc mortuo alter fratrum succedet. *lib. 1. tit. 20. de benef. fratr. in fi.* *Quod c. vnicum de benef. fratr. lib. 1. tit. 20.* ita debet conciliari *cum C. vnic. de fratr. de no. benef. invest. lib. 2. tit. 12.* quod fratri succedat in beneficio de communibus bonis empto, si sciente Domino sit emtum, vt dicitur. *in d. tit. 20.* Illa namque scientia & taciturnitas Domini qua scit & patitur vasallum pro se & fratre suo ex cõmunibus bonis feudum comparare, videtur importare voluntatem Domini. Cum verò dicitur. *in c. vnic. lib. 2. tit. 12.* quod non succedat frater fratri in feudo de communibus bonis empto, vt hoc intelligatur, si ignorante Domino emtum sit de communibus bonis. *d. §. quod si.* Ita eleganter & exactè tradit *Vulte. c. 9. de feud. nu. 105. & 106.*

Iam satis sit dictum de fratrum successione in feudo novo. In veteri feudo rectè succedunt fratres, nam descendunt simul ex persona primi auctoris, feuda autem acquiruntur posteris. *c. vnic. §. his verò deficientibus. de succes. fratr.*

In feudis germanus frater non excludit consanguineum, si paternum est, sed uterinum fratrem excludit, si verò fœmineum est, consanguineum excludit, non uterinum. *Curt. d. par. 3. feud. nu. 56.* Fratres itaque consan-

guinei à fratrib. germanis in successione feudi non excluduntur, sicut fit jure civili. Ratio est, quia non cognationis sed agnationis tantum ratio in feudi succesſione servatur. *Iacob. de S. Georg. in tract. feud. in verb.* præsentes & recipientes. *nu. 11. Wesenb. consil. 82. & in parat. tit. de gradib. & affin. nu. 15. Gail. lib. 2. Obs. c. 151.* Pulchrè D. Neostad. *in tracta. de succes. feudi c. 6. nu. 15.* Planè uno casu frater utrinque conjunctus excludit consanguineum, utputa si pater ex priore uxore habuit liberos, & postea ducat aliam, quæ habet feudum fœmininum, si ex eo relinquat liberos, prioris matrimonij liberi, licet sint fratres consanguinei cum filijs natis ex secūda uxore, tamen non succedunt cum fratribus defuncti utrinque conjunctis, quia non proveniunt à stipite, à quo primum feudum procesſit. *Sonsbec. par. 9. feudo. nu. 95.* Deficientibus germanis uterini soli sibi invicem succedūt in feudo fœmineo, in feudo masculino soli cōsanguinei.

Fratribus annumerantur fratrum filij, nam hi cum patruo aut amita in succesſione patrui mortui simul admittuntur, & succedunt in stirpes, h. e. eam portionē accipiunt, quam pater eorum habuiſſet, si vixiſſet, quia locum patris repreſentant. *d. c. unic. de succes. frat.* Quod si Vasallus moriens relinquat fratrum filios

filios, & patruum, etiamſi fratrum filij, & patruus defuncti ab ipſo omnes eodem gradu diſtent, patruus tamen à fratrum filijs in ſucceſsione excludetur: ſicut & in allodialibus bonis jure civili receptum eſt. *Auth. poſt fratres. C. de legit. hered. §. ſin autem cum fratribus. No. 118.* Ratio eſt, quia fratrum filij non veniunt jure ſuo, ſed jure præmortui parentis, cujus locũ repreſentant. Adde, quod hereditas deſcendentibus potius quã aſcendentibus debetur. *d. No. 118. §. ſin autem. verſ. ſin illud.* Illos naturæ & commune parentum votum vocat. *l. ſcripto. ff.* Vnde lib. hos ordine turbato ratio ſaltem miſerationis admittit. *l. nam etſi ff. de inoff. teſt. Borcholt. in c. Quom. feud. acqu. nu. 85. Vulte. c. 9. de feud. nu. 110.*

Quod ſi fratrum filij inter ſe ſoli ſuccedant abſque patruis & avunculis, tunc ſuccedunt in capita, id eſt hereditatem patrui inter ſe æqualiter partiuntur, ſecundum numerum perſonarũ. Et hæc ſententia poſt varios DD. conflictus tandem crebrius obtinuit, & hodiè in Germania ſervatur. Quia Carolus V. Imp. Anno 29. in Comitibus Spirenſibus eam ſententiam lata conſtitutione confirmavit, omnibus conſuetudinibus & ſtatutis in contrarium exiſtentibus prorſus ſublatis, ut notant *Zazius lib. 1. reſponſ. c. 7. Minſ. centu. 3. Obſ. 94.*

Post patrueles successio datur huic deinde qui gradu proprior est. Sed quæstionis est, ad quotum usque gradum succedant, & descendentes in infinitum succedunt, transversales verò ad septimum duntaxat gradum. §. *unic.* §. *hoc quoque sciendum. De ijs qui feud. dare poss.*

Quod tamen ita Feudistæ intelligunt, si feudum à primo acquirente ad transversales agnatos pervenerit, pacto videlicet, ut tunc collaterales solum usq; ad septimum gradum succedant, *c. unic.* §. *hoc quoque. de succes. feu.* Si verò feudum ad descendentes primò transitum fecit, & postea ad transversales pervenit, transversales agnati in infinitum admittuntur. §. *1. de natu. succes. feu. Fransc. Curtius in 3. par. feudo. in 5. memb. in princip.* Et huic sententiæ communis DD. caterva subscribit, *teste Hanneto. lib. 2. feudo. c. 4. Borch. c. 7. de feud. nu. penul.* Cui sententiæ rectè quoque adstipulatur *D. Neostadius, in tracta. de succes. feudi. c. 5. nu. 43. & 44.* Quæritur hic non incommodè, Vtrum filio, vel agnato, successori feudi possessio feudi acquiratur, antequam ab ipso fuerit apprehensa? Et respondeo & filio & agnato possessionem feudi defuncti continuari quoad implendam feudi præscriptionem à defuncto inchoatam. *l. nunquam 31. §. vacuum. l. cæptam 40. ff. usuca.* Quoad alios

verò

verò effectus feudi possessionem successori non acquiri, nisi ab ipso apprehensa fuerit. *Zaz. in tract. feud. 7. par. nu. 41. cum seqq. Iacob. de S. Georg. in tract. feud. in verb.* ita quod ipsi investiti. *nu. 13. Gail. lib. 2. Obs. c. 152. arg. l. cum hæredes 23. ff. de acq. pos. l. cum miles 30. ff. Ex qu. cau. majo. l. in suis 11. ff. de lib. & posth.* Ideoque ante possessionem apprehensam ipse uti possidetis, neque recuperandæ possessionis interdicto experiri potest, sed adipiscendæ possessionis interdicto agere debet. *Zaz. dicto loco. Schrader. in tract. feudo. par. 7. c. 7. num. 21. & 22.*

Fœminæ in feudo non possunt succedere, nisi disertè pactis feudalibus hoc sit comprehensum. *c. unic. § fin. de succes. feu.* Ratio est, quia propter corporis & ingenij imbecillitatem arma tractare, consilio dominum juvare non possunt, fœminas enim natura contentas esse voluit suis operibus, non immiscere se actibus & operis virorum. *l. fin. C. de arbitr.* Quod & Homerus confirmat, *lib. 6. Iliad.* ubi tradit, Telam & colum, & ancillarum curam. proprium esse mulierum, bella autem virorum. Quo etiam pertinet illud Virgilij 7. Æneidos:

Cura tibi Divûm effigies & templa tueri,
Bella viri pacemque gerant.—

Item illud Ovidij lib. 12. Metamorph. columque,

I cape, cum calathis & stamina pollice torque.
Bella relinque viris. —

Secunda ratio est, propter inconstantiam & lubricitatem voti muliebris, quia, ut *Baldus* inquit, *in l. quoties. C. de suis & legit.* ter mulier mutatur in hora. Denique propter perfidiam, quia perfidæ sunt, & secreta sibi commissa retinere non possunt. Sunt tamen ab hac regula aliquot exceptiones, quibus fœmina in feudo ad successionem admittitur, quas infra cap. x. attingimus.

In feudis inter maritum & uxorem nulla est successio, licet jure Romano permittatur in bonis allodialibus, nullis agnatis existentibus. *lib. 2. feud. tit. 13.* Succedunt tamen inter se conjuges in feudis, quando specialiter de ijs investiti sunt. *lib. 1. t. 15.* Deficientibus igitur in linea collaterali agnatis masculis, relabitur feudum ad dominum, non ad alium, quippe ea lege datum est.

Hactenus expositi sunt duo modi quibus feuda acquiruntur, scilicet præscriptio & successio. Restat nunc ut de tertio modo aliquid dicatur, scilicert de liberalitate domini, quæ fit cum per investituram confertur feudum. Dicam quomodo fiat investitura, per quos, &

quæ

quæ ad eum actum ſint neceſſaria.

Fit inveſtitura propriè & impropriè. Propriè, ſi inducatur vaſallus in vacuam feudi poſſeſſionem, quod omninò ut ſemel faciat Dominus poſt conſtitutum feudum tenetur: Impropriè fit verbis cum actu aliquo corporeo, ut cum Dominus dicit, *Inveſtio te iſta haſta, annulo*, vel *enſe*; §. 1. *tit.* Quid ſit inveſtit. aut alia re porrecta pro loci conſuetudine. Principibus conceduntur regalia beneficia porrecto vexillo, *met vpgerekten vahnen*. Hæc verbalis inveſtitura contractum quidem confirmat, ſed non facit beneficiarium poſſeſſorem, niſi fortè coràm paribus curiæ, id eſt beneficiarijs ejuſdem Domini, poſſeſſionem rei beneficiariæ quaſi tradiderit dominus, hiſce verbis: *Ito in poſſeſſionem fundi illius, & pro beneficio tibi habeto. tit. de conſu. recti feu. lib. 2. tit.* 33. *c.* 1. *Quid ſit inveſt.* ubi dicitur, quod inveſtitura feudi ſaltem coràm paribus curiæ duobus fieri debet. *c,* 1. *de not. feudo. Baro lib.* 2. *de acquir. benef. c.* 14. Imò etiam cum beneficium in oculis eſt, hæc abuſiva inveſtitura, quæ verbis fit, transfert poſſeſſionem, & pro traditione naturali habetur. *arg. l. clavibus.* 47. *ff. de contr. emp. l. quod meo* 18. §. *ſi venditorem. ff. de acq. poſſ.* Quod ſi abſentibus paribus curiæ, vel ſi pares nō ſint, alijs idoneis te

ſtibus

ſtibus non adhibitis, dominus rem quæ in oculis non ſit, poſſideri jubeat, pro inveſtitura non erit, nec rectum beneficium, quod ad heredem tranſire poterit, conſtituet, licet quoad dum vixerit, voluntate domini poſſeſſionem ingreſſus, pro beneficio teneat. *tit. Quib. mo. feud. conſtit. pos.* Præterea hæc impropria ſeu ceremonialis inveſtitura hunc habet effectum, ne dominus pœnitentia fortè ductus poſſit mutare voluntatem, ſed omnimodò teneatur poſſeſſionem rei liberam & vacuam tradere, neque liberetur ſolvendo id quod intereſt. *per text. eleg. in c. 1. §. ſi facta. Si de feu. defun. conten. ſit inter do. & agn. c. 1. in fi. de no. for. fidel.* Si tamen dominus poſt inveſtituram abuſivam alij factam, alteri poſſeſsionem feudi realiter tradiderit, præfertur is cui poſſeſsio tradita eſt, ſed dominus tenetur primo ad æquivalens feudum. *c. 1. de inveſt. de re alie. per l. quoties. 15. in fi. C. de rei vend. Sonbſb. par. 9. feudo. nu. 33. Borch. c. 7. de feud. nu. 12.*

Illud quoque benè notandum eſt, quod tria ſeſe ex ordine conſequantur ad conſtituendum feudum. Primum eſt feudi conceſsio ſeu contractus, quo dominus ſe obligat ad dandum feudum. Secundum inveſtitura abuſiva verbalis, quæ eſt conceſsionis confirmatio. Tertium eſt poſſeſsionis traditio, quæ

vera

vera est investitura. *Alvar. in c. 1. Quid sit invest.* In antiquis autem feudis cum succeditur, non est necessaria nova investitura & possessio, sed sufficit antiquæ investituræ per literas testimoniales renovatio. Eaque renovatio investituræ petenda est mutato domino feudi, vel vasallo, puta alterutro vel utroque mortuo. *cap. 1. de capit. Corra.*

Debet investitura fieri à domino, aut ejus procuratore, quemadmodum nec illud refert, vasallo fiat, an ejus procuratori. *§. sed utrum ipse. Per quos fi. invest.* Sic procurator qui Principis nomine investituram facit, est Cancellarius, ut dicit *Wesenb. de feud. c. 8. nu. 12.* & vacante imperio, Elector Palatinus ad Rhenum, ex aurea bulla. *Vulte. lib. 1. de feud. c. 7. nu. 18.*

Fit investitura novi feudi adhibitis testibus, qui sunt pares curiæ, id est, qui sunt ejusdem domini in eodem territorio Vasalli, ut scilicet fide eorum in eo adjuvetur: Si nulli sunt pares, vel longo tempore absentes expectari oporteret, rectè adhibentur extranei testes. *c. unic. in princ. & §. si autem investitura. tit. Quid sit investitura. tit. Si de investit. lis, &c. tit. de consuet. rec. feu. titul. de feu. guard.*

Si sunt, sed adhibiti non sunt, valet feudum, dum vivit Vasallus, ulterius non valet, nam

nam non tranſit in heredes. *arg. ejus quod dicitur. Quib. mod. feud. conſtit.*

Veteris feudi inveſtitura fit coram quibuſcunque teſtibus, dummodò non ſint fœminæ. *tit. Qui teſt. ſunt neces. in fi.* Solet & Scriptura accedere, quod etſi non eſt neceſſarium, *c. 1. ubi DD. Qui teſt. ſunt neceſſ.* tamen eſt utiliſſimum. Nam prima inveſtitura eſt radix totius futuri actus, nec poteſt unquam in præjudicium primę conſtitutionis feudi quicquam per ſequentem inveſtituram mutari. Quia jus quæſitum per primam inveſtituram certis perſonis, non poteſt illis pacto adimi, vel minui. Quod intelligendum eſt de feudo antiquo, nam novi feudi inveſtitura nihil perpetui habet, ſed juxta pacta & conventiones variat. *Zazius part. 6. feudo. nu. 23.*

Illud neceſſarium eſt, ut Vaſalli juramentum de fidelitate ad inveſtituram accedat, *de quo vide libr. 1. tit. 7.* Eſt autem hoc juramentum duplex. Ligium & non ligium. Ligium eſt, quando juratur fidelitas contra omnem hominem mundi, nullo excepto, & iſtud non recipitur niſi à Principe ſuperiorem non recognoſcente; qualis eſt Imperator, Papa, Rex Franciæ, qui appellatur à Baldo, corporalis quidam Deus in ſuo regno. Ligium ideò dicitur, quod arctius liget & aſtringat Vaſallum,

lum, cum nullus alius excipiatur ex jure fidelitatis, & qui tale juramentum præstat, dicitur homo ligius, *Zazio teste:* vulgò vocatur *Godts frundt, ende aller Wereldt viandt.*

Non ligium juramentum est, in cujus præstatione aliquis nominatim excipitur. Sic in in omni alio feudo debet excipi persona prioris Domini, & Imperatoris. *c. Imperialem. §. penul. de prohib. feud. alie. per Frider.*

Dominus etiam Vasallo obligatus est eodem ferè modo, quo Vasallus Domino. *tit. de form. fidel. in fi. & tit. Qual. domin. propriet. feu. privet.* Oportet enim æqualem esse fidei relationem inter Dominum, & Vasallum, & fidus Dominus efficit fidum clientulum. *De quo vide text. ad hoc singularem in c. 1. §. ult. de for. fidel.* vbi dicitur, quod Dominus feudi Vasallo ad servandam fidem mutuò astringatur. Vnde sicut Vasallus feudo privatur propter feloniam in Dominum commissam, & utile dominium vasalli consolidatur cum proprietate domini. §. *deniq. tit. Quæ fue. pri. cau. benef. amit.* ita Dominus privatur directo dominio, propter delictum commissum in Vasallum, & illud consolidatur cum vtili dominio vasalli, & revertitur ad vasallū. *tex. in c. 1. §. domino cōmittente. Si de feu. defunc. conten. sit.* Quod observatū esse in Rege Franciæ, quoad Comi-

Comitatum Artesiæ & Flandriæ, suo tempore refert *Præses Everar. in loc. legal. in loco à correlativis. nu. 10. & 11.* Præterea hujus rei memorabile exemplum est in annalibus Franciæ, de rege Eripto, qui proprietatem feudi sententia Pontificis ob interfectum vasallum perdidit, dum antea feudum esset regni Franciæ, uti annotatum est à *Duareno in comment. ad consuet. feud. c. 15. nu. 3.* Similiter, quia Guilhelmus Dux Clivensis Walburgin Comitissam Morsensem vasallam suam stricto ense invaserat, & mortem, nî impeditus esset, intentaverat, declaratum est à collegio juridicæ facultatis in *Academia Leydensi*, eum à directo dominio feudi prædicti Comitatus Morsensis cecidisse, & ad vasallam jure reversum fuisse.

Expedita nunc est quæstio principalis capitis. Quod ad testamentariam successionem attinet, quæ sola intacta est, de ea est parum quod dici possit. Nam regula est *Vasallum testamento nihil mutare posse circa naturam feudorum*, id est, de successione feudi. *c. 1. de succes. feudi.* tum domini causa, tum favore eorum, quibus proximè post dominum feuda debentur. In allodialibus bonis, quisque de rebus suis liberè disponit, prout illi visum est. Ratio differentiæ est: feudi proprietas patroni est, quod defunctus habuit; domini liberalitate habuit,

habuit, ea lege quæ in feudis dicta est, scilicet ut ei proximi succedant, allodialia verò bona propria sunt & plenè testatoris, Eum igitur successionis ordinem, quem lex vel consuetudo ex pacto & providentia primi domini concedentis instituit, vasallus violare, & jus quod ex investitura filijs in eorum vita, licet sub spe quæsitum est, pater auferte non potest. Vnde vulgò dicitur patrem inter filios non posse ita feudum dividere, ut uni majorem partem attribuat quam alteri. Itaque filij rejecta dispositione patris in feudo nihilominus æqualiter succedunt. *c. unic. de succes. feu. in verb.* succedunt filij æqualiter, nulla defuncti ordinatione in feudo valente. *c. 1. §. & quia vidimus lib. 1. feudo. tit. 1.* Hoc tamen notabiliter limitatur, nisi feudum esset susceptum pro se, filijs & heredibus, & per consequens feudum esset hereditarium: tunc enim uni ex filijs pater potest feudum prælegare. Ratio est, quia non potest filius in feudo succedere, nisi sit heres, ideóque factum testatoris impugnare non potest. *l. ex qua persona. ff. de R. I. l. cum à matre. C. de rei vend. Curt. 4. par. tracta. feud. nu. 132.* Secundò limitatur hæc dispositio, ut non procedat, si Vasallo tacitè vel expresse concessum fuerit, ut de feudo testari vel alienare possit. Quæ tacita testandi vel alienandi per-

missio ex eo colligitur, quod in investitura di-ctum est, feudum concessum esse vasallo, & cui ipse hoc dederit. Hisce enim casibus permittitur vasallo, etiam absque consensu domini de feudo in ultima voluntate pro libito disponere. *c. 1. & ibi DD. de feud. non hab. prop. nat. Iac. de S. Georg. in verb. & quibuscunq; heredib. nu. 3.* Quæ sententia verior est & communior, quamvis contrarium responderit *Alex. cons. 106. nu. 9. lib. 4.* Ita eleganter decidit *Schrader. in tract. feud. par. 7. c. 2. nu. 13.* Feuda etiam, maximè antiqua, non computantur in legitimam, jure naturæ debitam filio, nec in Trebellianicam, vel Falcidiam. Cum enim pater nō possit de feudo testari, filius non censetur feudum ex testamento patris habere, sed potius ex legis dispositione. *Curt. d. lo. nu. 134. Alvaro in d. c. 1. de succes. feudi. Præses Ever. in lo. à feud. ad emphyt. n. 20.* Prædicta adeò vera sunt, ut nec Vasallus feudum pro anima legare, h. e. ecclesijs & alijs pijs locis relinquere possit. *c. 1. §. donare. Qual. olim feud. pot. alie.* Fieret enim magna fraus domino, si ecclesiæ posset feudum legari, quia cum nunquā moriatur ecclesia, nunquam spes esset feudum ad dominum rediturum, & ideò ecclesia, quæ debet esse cultrix justitiæ, nihil sinistri debet admittere neque in se, neque in alium. *c. 1. §. inde potest de alienat. feudi.* Denique notandum quod feuda in pe-

titionem hereditatis non veniunt, quia non debentur jure hereditario, ſed ex pacto vel lege. *d.c.1.de ſucces. feud.* Vnde Bart. refert Dynum conſuluiſſe, cum frater fratri apocham ſeu generalem liberationem dediſſet, ſe amplius ex hereditate non petiturum, nihilominus feuda & bona emphyteutica peti poſſe, quia non ſunt pars hereditatis paternæ. *Vide Bart. Bald. & Angel. ad L. item videndum. §. fin. ff. de pet. hered.*

CAP. VI.

Quid Iuris Vaſallus conſequatur in feudo.

ACquiſito feudo in eo utile dominium ſtatim Vaſallus habet, ita ut vindicare poſſit rem contra quemlibet poſſeſſorem. *§. rei autem. tit. de inveſt. de re alie. fac.* etiam contra ipſum Dominum. *d. §. rei. arg. l. 1. ff. Si ag. vect. pet.* recteq; agat & excipiat, taleque judicium & ſententia inde ſecuta, Domino ſive ſcienti, ſive ignoranti, quoad jura utilia eatenus præjudicabunt, ut nec aperto feudo Dominus cõtravenire ex jure Vaſalli poſſit, imò eum qui vicit, Vaſallum habere cogatur, nam feudi defenſio æquè principaliter ad Vaſallum, ſicut ad dominum pertinet. *Præpo. c. 1. de inveſt. de re alie. fac.* Poteſt & Vaſallus ſuum feudum ſub infeudare,

 alienare

alienare pro pretio non poteſt. *Gl. in c. 1. §. præterea. de capit. Corra. de quo dicemus inf. cap. 8.* An & ſervitutem prædio imponere? non id quidem in perpetuum, nec obſtabit domino libertatem aſſerenti ulla præſcriptio. *§. quid ergo. de inveſt. de re alie.* Poteſt tamen ipſe dum feudo utitur, ſervitutem fundo imponere, ſed hæc una cum perſona ſui auctoris expirat. *d. §. quid ergo.* Idque per regulam vulgatam confirmatur, quod reſoluto jure datoris reſolvitur jus acceptoris. *l. lex vectigali 31. ff. de pigno.* Planè Vaſallus liberare feudum ſervitute, quam debebat, poteſt & in perpetuum.

Quid ſi incrementum feudo fiat, an id domino cedat totum, an etiam Vaſallo, videndum eſt. Fit incrementum aliâs opera vaſalli, aliâs caſu. Si ejus opera fit, non accedit ad feudum, ſi feudo non incumbit, ut ſi feudum vicinum emit, ſed manet totum Vaſalli, etiam finito feudo. Sin feudo incumbit, ut ſervitus fundo acquiſita, aut domus impoſita, cedit res ſolo, tanquam principali: ſed expenſas repetit à Domino. *§. ſi Vaſallus. tit. hic finitur l. incipit conſuetudo.* Quod ſi nolit Dominus expenſas reſtituere, rectè auferuntur ea, quæ ſine vitio rei principalis tolli poſſunt. *d. §. ſi Vaſallus.* Quod ſi non opera Vaſalli, ſed caſu accidat incrementum, utpote in alluvione,

poſt conſtitutum feudum, incrementum alluvionis non quæritur Vaſallo, ad cujus feudum acceſſit, ſed Domino. Quod ſi Dominus ex incremento ſibi quæſito Vaſallum deinde liberaliter inveſtiat, incrementum novum feudum eſt, vetus feudum manet vetus. Quo nomine ſi controverſia oriatur inter Dominum & vaſallum, ſin actor eſt vaſallus, probatione opus eſt, ſin reus, ſufficit iuſiurandum. §. *Si quis de manſo. tit. Si de inveſt. feudi contr. fuerit, &c.* De fructibus feudi cui debeantur, feudo per mortem Vaſalli revoluto ad Dominum, heredine vaſalli, an Domino. *tex. eſt in §. fina. tit. hic finitur lex &c.* Illud etiam in eo iure, quod conſequitur vaſallus, non eſt infimum, ad quæ vaſallus Domino tenetur, ad eadem ferè Dominum obligari vaſallo. Itaque ex quibus cauſis vaſallus privatur feudo, ex his etiam Dominus privatur proprietate feudi. *c. 1. Qual. dom. proprie. feudi prive.* Et quemadmodum vaſallus Domino obſtrictus eſt ad præſtanda obſequia fidelitatis, ita vice verſa de jure tenetur Dominus tueri vaſallum: ſi id non faciat, mulctatur proprietate feudi. *c. 1. §. fin. de form. fidel.* Quæ deciſio, quod Dominus privetur proprietate feudi ob fidem vaſallo non præſtitam, multum eſt notanda. *ſecundum Alvaro in. c. vnic.*

de form.fidel. Quem tex. dicit Alvarottus continere ſanctam juris diſpoſitionem, ſed Baldus aſſerit eum feudi dominis eſſe terribilem. Vnde illud Germanis tritum elogium, *Getrow Heer, getrow knecht.*

Tertiò, ut Vaſallus Dominum accuſare non poteſt, aut teſtimonium impunè contra eum dicere, ita nec Dominus ex parte Vaſalli, niſi de ipſo feudo ſit controverſia. *Zaz. in epit. feudo. c. 7.* Poſtremò, ut feudum Vaſallus alienare non poteſt invito domino, ita nec dominus alium dominum invito vaſallo præficere poteſt, alienato jure dominij. *§. ex eadem. l. deſcendit. de l. Corra. c. Imperialem §. præterea ducatus. de prohib. alie. feu. per Frider. Pet. Iaco. in aurea Practica. tit. de cauſis, ex quib. Dominus debet amittere proprietatem, vers. Item Dominus non debet*, in addit. illic poſitâ, quæ habet, Azonem ſuper hoc requiſitum conſuluiſſe, non valuiſſe delegationem, quam rex Franciæ poſt longam guerram fecit regi Angliæ de omni jure vaſallagij, quod tunc habebat in ducem Britanniæ Arturum, contradicentem, & invito dicto Arturo. Et de hoc habetur *per Hoſt. Io. And. Panor.* & alios Canoniſtas *in c. dilecti.* vbi etiã eſt bonus tex. de majo. & obed. Sicut enim intereſt Domini non perdere ſubditos, ita etiam intereſt ſub-

ditorum

ditorum, non mutare dominos suos. Ita pulchrè notat *Præs. Everar. in lo. à liberto ad Vasal. nu. 3. & 4. Iul. Clar. in recept. senten. §. feudum, quæst. 28.* Si tamen Dominus totam curiam seu territorium alienaret, hoc expressim acto, ut feudalia etiam jura una cum curia alienarentur, hoc casu alienatio feudi à Domino, etiam Vasallo inconsulto atque invito facta valeret. *c. unic. in princ. de Capit. qui Cur. vend.* Multa enim per universitatem transeunt, quæ sola & separatim alienari non possent. *l. quædam. 62. ff. de acq. rer. do. l. 1. ff. de fund. dota.* Sed quæritur, an dominus alienans feudum, privandus sit proprietate feudi, prout Vasallus alienans feudum invito Domino, cadit à feudo. Et statuendum est quod debeat feudo privari. Et hanc opinionem esse veram & communem dicit *Curt. jun. cons. 164. post num. 34.* quem approbat *Clarus in recep. senten. §. feudum. quæst. 28.* A pari enim judicantur Dominus & Vasallns.

CAP. VII.

Ad quid Vasallus nomine feudi sui Domino obligetur.

PRimò in feudo antiquo, defuncto Vasallo, liberi ipsius, vel agnati à Domino renovationem investituræ intra annum & mensem si milites sunt, si verò pagani, id est privati, intra annum & diem, petere debent, & se ad fidelitatis juramentum offerre. *c. 1. Quæ fue. pri. cau. benef. amit. c. imperialem. §. præterea. de prohib. feud. alie. per Frider.* Neque solum per se, sed etiam per procuratorem specialem beneficiarius investituram rectè petit. *tit. Per qu. fi. invest.* Excusatur tamen varijs ex causis Vasallus, nimirum justo impedimento, morte, captivitate, incursu hostili, justa absentia, carcere, peste, inimicitijs, quæ non leve periculum minentur. *tit. Quo temp. mil. invest. pet. deb. tit. de prohib. alie. per Lotha. §. ult.* Idem deciditur *in §. Vasalli. tit. de pace Constan.* vbi Imp. Fridericus hisce verbis eleganter constituit, Vasalli qui tempore guerræ vel treugæ non postulaverint investituram, vel debita servitia nobis non exhibuerint, hac occasione feudum non amittant. Vide

Vide ad hoc elegantem *glos. in d. §. Vaſalli.* Imò excuſatur etiam heres Vaſalli ob juſtam ignorantiam, ſi intra annum & diem non petat inveſtituram. Iuſta autem ignorantia eſt, ſi quis ignoret defunctum Vaſallum fuiſſe, non repertis in hereditate inveſtituris. *l. qui in alterius 42. ff. de R. I. arg. c. ſi Vaſallus. vers. Vaſallus. Si de feu. def. conten. c. 1. Quo temp. mil. inveſt. Gail. lib. 2. Obſ. c. 48.* Vbi dicit ita in magna cauſa in Camera imperij iudicatum. vbi addit, quod Vaſallus allegans ignorãtiam feudi vacantis, juramento id probare poſſit, & ita in Camera obſervatum eſſe refert *Gail. d. c. 48. nu. 25.*

Hoc juſiurandum à Domino remitti poteſt, fidelitas verò remitti non poteſt, quia Vaſallus ſemper Domino fidelis eſſe cogitur, ſive juraverit, ſive non. *c. 1. inſi. Per qu. ſi. inveſt. c. 1. §. eſt & alia. Quæ fue. pri. cau. benef.* Communis forma juramenti, quæ à Vaſallis in Germania præſtatur, hæc eſt. Quod velint utilitatem Domini promovere, & incommoda propellere, parereque cum paribus in jure dicundo. *Zaz. par. 7. feudo. nu. 16.* Quod ad ſervitia præſtanda attinet, hoc jure utimur, ut non aliter teneatur Vaſallus ſervire Domino, niſi vocatus. Quod tamen fallit, ſi Domino inſcio ſciat vaſallus domino damnum

imminere, aut ſi Dominus obſidione preſſus non poſſit Vaſallo opem nnnciare. *§.1.tit.hic finitur lex.&c.* Eouſque autem tenetur domino periclitanti ſuccurrere, dum videt dominum ſuo auxilio juvari poſſe. Itaque ſi interfectus eſt patronus, aut vulneratus ita ut certa mors ſit, benè facit, ſi ſibi conſulat, dum domino amplius conſulere non poteſt, liberumque erit imminenti ruinæ, aut certè dubiæ ſeſe ſubtrahere. *c.unic.Quib.mod.feud.amit.* Fallit etiam regula, ſi dominus ab Imperatore ſit bannitus, vel excommunicatus. *§.1. hic finit: lex.* nō obſtante qualicunq; jurejurādo. Nam contra eccleſiæ auctoritatem nulla intelligi poteſt obligatio, nec videbitur peieraſſe Vaſallus, ſi ex conceſſa cauſa juſiurandum deſerat. *l.fin.ff. Qui ſatisd. cog.*

Quid an contra ſe dominum juvare debet? Minimè. In generali enim elocutione, & omnibus contractibus & pactis in genere initis, excipitur tacitè perſona loquentis. *l. inquiſitio 18. C. de ſolut.* Ordinata quoque caritas incipit à ſe ipſo. *l.præſes. C de ſervit.* Vnde ſi domino promiſit arcem vel caſtrum contra quemcunque defendere, tamen cōtra ſeipſum non tenebitur. *DD. omnes in d. §. fin. hic finitur lex, &c. Sonſbec.part.* XI *feudo.nu.42.* An & contra patrem, patriam, & cognatos tenebitur dominum

num defendere? *tex. est in § . fin. hic finitur lex* &c. qui ait eum teneri. Quod licet ſit grave & durum, & naturali rationi contrarium, patriam ſcilicet, parentes & amicos hoſtiliter invadere, tamē quia lex conſuetudinis ſic ſcripta eſt, ſervāda eſt. Ita dicit *Zaz. in epit. feud. p. 7. nu. 18. arg. l. proſpexit. ff. Qui & à quib. manum.* In fratribus videmus hodie id uſuvenire. Sic enim ſæpè videmus nobiles fratres diverſorū Principum caſtra ſequi, & alterum ab altero in conflictu hoſtili captivum teneri. Vnde quiſquis feudum petit, cum intelligat ſe id debere, quod natura recuſat, rectè ab initio excipiet, ne contra hoc domino obligetur. Quod ſi id prætermiſerit, ſibi imputet; ſi aut poſtea feudo privetur, negans ſervitium, quod in ſe tacēdo recepit, aut impius ſit & ſceleſtus, ſi eos oppugnet, quos defendere debebat. Eſt hęc res eò tolerabilior, quod ſi juſtum bellum his inferatur, tunc enim & communi jure invitantur filij, ut utilitatis uſuſque communis, adde & rationis locum potius apud ſe eſſe velint, quam privatæ affectionis erga agnatos & parentes iniquos. Cujus rei elegans exemplum edidit Brutus in filios, Repub. in libertatem vindicatâ; apud Dionyſium Halicarnaſs. Si injuſtum bellum his inferatur, tantum abeſt vt teneatur feudi nomine contra patrē ſervire patrono, ut prorſus áb hujuſmodi

bello & munere ſit excuſatus, quod contra quemlibet injuſtè & iniquè decernitur. ex communi DD. ſententia. *per c. 1. vers. & ſi ſcivero. de no. for. fidel. & c. Domino guerram.* Hic finitur lex. vbi dicitur quod in bello notoriè injuſto Vaſallus non tenetur Domino præſtare ſervitia. Non obſtat *tex. in. §. Vaſalli. de pac. Conſtan.* vbi qui in bello juſto patriæ illato, patriam defeudunt potius quam patronum, hi feudo non privantur, quia id clementer receptum eſt liberalitate Imperatorum. *§. pacem. d. tit.* Itaque non èxtenditur ad conſequentias. *l. quod verò. ff. de legib.*

Item Vaſallus non poteſt famoſam actionem contra Dominum intentare. *c. 1. de mil. Vaſal. qui cont. eſt.* Vbi ſalva reverentia cum domino agi debere dicitur. Itaque Vaſallus non poteſt interdictum vnde vi, vel actionem de dolo inſtituere erga Dominum, ſed ejuſdem loco actionē in factum ſimpliciter proponet *l. 1. §. hoc interdictum. ff. de vi & vi arm. l. non debet. ff. de dolo. l. 1. ff. de obſequ. cum ſimil.*

Poteſt tamen Vaſallus ſine venia Dominum in jus vocare. *Iul. Clarus in. §. feudum. quæſt. 25.* Nec obſtat quod Vaſallus æquiparatur liberto. Atqui libertus ſi velit adverſus patronum litigare, obligatur ad petendam veniam. *l. 4. ff. de in jus voc.* Nam ſicut argumentum à

tum à liberto ad vasallum sæpe non procedit, ita nec hoc casu, quia Vasallus non est de numero personarum, quæ sine venia agere nequeunt, de quibus in *l. 2. cum seqq. ff. d. t.* Præterea non obstat, quod omnes quibus reverentia præstanda est, generaliter sine venia in jus vocari non possunt. *l. generaliter. ff. eod.* At præstanda est domino feudi. *d. c. 1. de mil. vas. qui cont. est, in verb. salva reverentia.* Nam illa verba ad actionem famosam, quam Vasallus honestis verbis moderari debet, non ad citationem restringenda sunt. Ita decisum in Camera imperij fuisse in causa *der Groß lagen* fratrum, contra Comitem de Hanaw, *refert Mins. cent. 4. Obs. 92. vbi refert* in Academia Friburgensi, cum Professorem Institutionum ageret, contrarium se defendisse *in §. pœnales. Inst. de actio. num. 40.* Verum prior opinio, quod Vasallus potest Dominum feudi sine venia in ius vocare, communiter à DD. est recepta, & magis approbata, vnde ab ea non est recedendum. Ita pulchrè notat *Præs. Ever. in loco à liberto. ad Vasal. nu. penul.* Illud hic convenienter quæritur. An Vasallus teneatur alere inopem dominum. Et prima facie videtur dicendum quod sic: quia vasallus æquiparatur liberto: ut notatur per *Andr. de Isern. & alios in c. 1. Qu. mod. feud. amit. & in c. 1. de mil. vas. qui cont.*

qui cont. est. Sed libertus tenetur alere patronum inopem. *l. si quis à liberis. § . solent. ff. de liber. agnos. Ergo &c.* Verior tamen & communior est opinio negativa, quia jure non reperitur cautum, quod Vasallus teneatur alere Dominum. Et hæc sententia videtur decidi in *c. licet. Si de feu. def. conten. ubi tex. dicit*, quod si dominus promisit alicui sub juramento quid solvere, & non potest, Vasallus non tenetur Domino suppeditare pecuniam, ne Dominus incidat in perjurium: & sic non tenetur eum liberare à periculo animæ. Ergo nec à periculo corporis, ratione alimentorum, cum animæ hominum sint preciosiores quibuslibet rebus. *l. sancimus. in fi. C. de SS. eccles.*

Limitatur hæc conclusio, nisi dominus universa bona sua infeudavit, vel quādo maximum est feudum. Facit *gl. in l. ult. C. de revoc. dona.* Quæ licet indistinctè concludat, donatarium posse cogi ad alēdum donatorem inopem factum, tamen secundū Cynum & alios ibi suppletur, ut id procedat, quando est donatio omnium bonorum, vel consistit in magna quantitate, secus si in parva. Et hoc videtur æquum *per tex. in § . fin. tit. Episc. vel Abbat.* ubi dicitur, quod licet mutus in feudo non succedat, sed ad dominum feudū revertatur, si tamen feudum est magnum, debent inde

muto

muto alimenta conſtitui. Idē dicendum eſt de domino, pari ratione. *argum. c. 1. de for. fidel.* Ita pulchrè *poſt Curt. & Zazium* decidit *Sneidewi. in epitom. feudo. par. 5. nu. 122.*

Quæſtio elegans eſt, quæ ad hoc caput pertinet, An refutari poſſit feudum ſine conſenſu domini, ſi vaſallus domino vel agnatis proximis velit feudum cedere. Et prima facie videtur non poſſe, quia inter dominum & vaſallum naſcitur ultrò citroq; obligatio, unde contractus appellatur. *l. Labeo 19. de verb. ſign.* qui ſine utriuſque conſenſu diſſolvi non poteſt. *l. ſicut 5. C. de obl. & act.*

Sed his non obſtantibus, verius eſt eum feudū refutare poſſe. Nam vaſallus obligatus eſt domino propter rem magis, quam perſonam. *arg. l. cum uſufructuarius 64. ff. de uſufr.* ubi dicitur, quod ſi uſufructuarius paratus eſt derelinquere uſum-fructum, onera propter eum impoſita ſuſtinere non cogitur. Ergo ſimiliter ceſſat obligatio feudi in vaſallo deſinente rem poſſidere, non minus ac in fructuario, quia vaſallus ſimilis eſt uſufructuario. *c. 1. in fi. In qu. cau. benef amit.* Quinimo tex. eſt apertus in *c. 1. de Vaſal. qui con. conſt. Lothar. &c.* quod vaſallus invito domino feudo renūciare poſſit. Feudum enim conceditur principaliter in favorē vaſalli, ergo poteſt ipſe favori pro ſe introducto renun-

renuntiare. *l.pen. C.de pact.* Non tamen debet Vasallus offendere dominum, hoc est non poterit adversus eum militare, licet non cogatur ei servitium præstare, quia veteris beneficij memoria non debet aboleri. *d.c. 1. de vasal. qui cont. const. Lothar. arg. l. ult.ff.de decur.* Ideóque si veterem dominum graviter offendat, egregiè extraordinariè punietur. *Gl. in d. c. 1. de vasal. qui cont. constit. Lotha. Sonsbec. par. 11. feudo. nu. ult.* Hinc etiam sequitur, si quis refutaret feudum antiquum, proximis agnatis cedendo, absque consensu domini, cessionem valere. *lib. 2. tit. 39. de alien. feu. pater. Vide Fachin. lib. 7. contr. c. 60. Curtium in 4. part. feudo. nu. 135.*

CAP.

CAP. VIII.

Quibus modis feudum amittatur.

EÆdem ſunt amittendi viæ, quæ acquirendi. *l. nihil tam naturale. 35. ff. de reg. jur.* Acquiruntur feuda præſcriptione vaſalli, domini liberalitate, & ſucceſſione. Amittuntur contra præſcriptione domini, liberalitate vaſalli, deinde cæteris quibuſdam modis. Pręſcriptione libertatis dominus utile dominium feudi ſibi acquirit, & cum directo conſolidatur. *Zaz. par. 6. nu. 36.* Sic etiam beneficium amittitur, cum per 30 annos ab alio quodam extraneo eſt poſſeſſum. Notant *DD. omnes in c. ad audientiam. ex. de præſcrip.* Liberalitate vaſalli feudum perditur, cum ſponte vaſallus feudum domino refutat. Fit refutatio alias domino, alias filijs, alias agnatis. Novum feudum agnatis refutari non poteſt, quia his ex tali feudo nihil poteſt cõtingere. Feuda enim nobis quæruntur, & noſtris poſteris tantum, agnati non ſunt poſteri. Novum feudum filijs rectè refutatur & patrono. Vetus feudum rectè patrono, rectè filijs, rectè agnatis refutatur: ſed cum refutatio fit, id obtinet, ne cum cujuſquam injuria fiat. *l. nam*

hoc natura. ff. de condict. indeb. Itaque si domino feudum refutatur, valet feudum, dum vivit vasallus, eo mortuo, redit ad eos, quibus à vasallo iniquè præjudicatum est. Idem dicetur, si malo filiorum, ad quos proxima successionis spes spectabat, refutatum est agnatis. *tit. de succes. feud.* Quod si refutatum est his, qui proximum tenent locum, rectè valet: quippe sine justa cujusquam indignatione id factum est: sed petenda nihilominus ejus feudi investitura novo vasallo, etiam vivente eo à quo accepit, etiã patre sibi expressim usumfructũ reservante. Pulchrè *Sonsb. de alien. feud. nu. 121.*

Præter duos superiores sunt & alij amittendi feudi modi. Primus est, si investituram non petierit heres vasalli, vel si vasallus ab herede domini sui mortui, renovationem investituræ petere neglexerit, miles intra annũ & mensem, paganus intra annum & diem. *tit. Quæ fu. prima benef. amit.* Vtrunq; tempus à die scientiæ juris sibi competentis computatur. *Gl. communiter approbata in c. 1. verb. ultra annum. Quo temp. mil. investit.* Quod non procedit si justa & probabilis causa subsit, quæ vasallũ à dolo & negligentia excuset, ut mors, justa absentia, infantia, &c. *lib. 1. t. 22.* vel si inimicitiæ inter dominum & vasallum intercesserint, quæ tamen vasallum feudo non privent,

nam

nam computatur tempus à die compositionis. *Alvar. d. tit. Quæ fuit pri. cau.* Ignorantis nec culpa est, exinde nec pœna. *tex. in §. fin. de prohi. feud alie. per Lotha. §. præterea si quis. de prohi. feud. alie. per Frider.* Vnde si vasallus cum ex probabili aliqua causa feudum esse ignoraret, non petijt intra annum & diem investituram, feudum non amittit. *per d. §. fin. de prohi. feu. alie. per Lotha.* Vbi dicit, si vasallus non dolosè steterit per annū & diem, quod investituram non petierit, feudum non amittat. fac. *c. 1. §. Vasallus. Si de feu: def. conten. sit. Sonsb. par. XI. num. 22. Mins. cent. 5. obs. 9.* Et ita in Camera Imperij in ardua & magna quadam causa judicatum & pronuntiatum fuisse testatur *Gail. 2. tract. obs. 48. n. 11. per tex. in c. 1. de contro. int. do. & empt. ubi glos. notab. in verbo* Ignorans. Impubes etiam toto illo tempore, quo impubes est, renovationē investituræ petere non tenetur. *c. 1. § si quis decesserit. Si de feu. def. cōten. sit.* Quęritur de minore 25 annis, an si renovationem investituræ petere neglexerit, possit in integrum restitui? Et vulgò obtinuit, posse: quia minoribus non currunt tempora petendæ restitutionis. *l. ult. C. de tem. in integ. restit.* Fallit hęc pręscriptio annua contra scientē in novo feudo, nam in novis feudis ad investituram petendam certū tempus lege feudali non invenitur expressum.

 Se-

Secunda amittendi causa est, si tribus edictis vasallus citatus à domino, quorum singula habeant intervalla septem dierum, ad dicendam causam, diluendamque feloniam, de qua accusatus est, integrum annum emanserit; intra annum illi semper est integrum comparere, sed refusis prius expensis citationis. *tit. de mil. vas. qui cont. est.*

Tertia causa est, si ea domino non præstet, ad quæ tenetur, ut si servitium facere recusaverit requisitus à domino, aut si dominum periclitantem in bello non adjuverit, vel deserverit. *c. 1. §. 2. Quæ fue. pri. cau. benef. amit. c. unic. de feu. sine culp. non amit.* Quid an etiam vasallus per alium possit servire? Et sæpè constitutum est, quod quis per se possit, id eum posse per alium. Sed in his tamen, ubi personæ vires, prudentia, fides & industria requiruntur, non solet facilè à persona semel constituta recedi. *l. in omnibus causis 68. de reg. jur. l. inter artifices 31. ff. de solut.*

Quartò finitur feudum bonis confiscatis non à patrono tantum, si regale est, sed etiam à tertio. *Andr. de Iser. in princ. tit. Si Vasal. feud. prive.* Verum hoc hodiè de consuetudine Germaniæ non servatur: nam bonis publicatis feuda amittuntur, sed redeunt ad dominum vel agnatos. *per c. 1. Si Vasal. feud. prive. cui defe*

Zas

Zaz. par. nu. 5. feud. 99. Vide distinct. traditam à Curt. 5. part. tract. feud. nu. 14. & à Vulteio. c. XI. feudo. Quib. mod. feud. amit. nu. 116.

Quinto Vasallus novissimò Iure feudorum non potest feudum alienare, ne si feudo careat, minus honestè domino serviat. Si contra fiat, alienatio nulla est, utpote contra præcepta legis facta. *l. non dubium. C. de legib.* nulla hic obstante præscriptione. Quia quod ab initio nullum est, non potest tractu temporis confirmari. *l. quod initio ff. de reg. jur.* Adeò autem prohibita est alienatio feudi vasallo, ut ne quidem ob necessitatem, puta famis, aut æris alieni dissolvendi, alienari feudum sine domini consensu possit, quamvis olim secus fuerat. *c. 1. vers. necessitatem. Qual. ol. feud. pot. alie. c. 1. ubi DD. de probi. feud. alie. per Lotha. Clar. de feud. quæst. 3. nu. 11. & 26. Curt. par. 4. nu. 107. Iacobin. in tract. de feud. vers. & cum pacto de non alien. Scurff. consil. 41. in pr. & cons. 67. nu. 22. cent. 1. Wesemb. in tract. de feud. c. XI. de alien. feud. nu. 2. Sonsbec. part. XII. feudo. nu. 77. & 78.* Et hæc est communis DD. opinio, attestante *Claro d. quæst. 31. nu. 11.* ubi tamen addit, quod eo casu, quo scilicet vasallus fame periret, dominus ab eo requisitus, nollet vel ipse acquirere dominium feudi, vel ejus alienationi consentire, posset per superiorem

 riorem

riorem ad id cogi. Porrò pœnæ loco feudo privatur, non universo quidem, sed ea parte tantum, quæ est alienata, aut toto, si alienatũ est universum. *tex. est in tit. de Vasal. qui con. const. Lotha.* Si bonæ fidei emptor fuit, & huic vasallus tenetur ad interesse. *l. 1 ff. de act. emp.* Tabellio autem, qui conscripsit instrumentum alienationis, infamis esto, manus & officij amissione interim mulctandus, nisi possit justa ignorantia excusari. vt est constitutio *de probi. feud. alie. per Fride. §. scriba verò.* Quod fallit, nisi dominus consentiat alienationem fieri. Addendum etiam est, nisi feudum sit paternum, *lib. 2. tit. 39.* nam tunc non valet alienatio, etsi domini voluntate fiat, nisi agnatorum quoque consensus accedat. Ratio est, quoniam ad hos feudum quandoque est reversurum. Itaque de quorum præjudicio agitur, eorum consensus meritò requiritur. *arg. l. nam ita. ff. de adopt.*

Illud notandum, quod feudum non possit alienari in remotiorem agnatum, non consentientibus proximioribus agnatis, sed proximi agnati possunt illam alienationem revocare post mortem alienantis. *c. Titius filios. Si de feu. def. fue. cõten.* & hanc esse communẽ sententiam affirmat. *Curt. 4. par. tract. feud. nu. 146.*

Item fallit, nisi feudum concessum sit pro vasallo,

vasallo, & quibus dederit. Hæc enim verba operantur licentiam alienandi irrequisito domino, ita quod ille in quem alienatum est feudum, retineat illam rem tanquam allodialem, non autem jure feudi. *c.1. de feud.non hab.prop.natu.Curt.4.par.feud.nu. 141. Pres.Ever. in lo.à feud. ad emphyt.nu. 25.* Ante traditionem nulla intelligitur alienatio, nulla pœna, *c.imperialem. §. callidis. in verb. & in alios transferunt. de probi.feud. alie. per Frider.* Nam cum alienatum sit id tantum, quod ex meo factum est alienum, hoc munus traditionis est, dominia & possessiones rerum transferre, non nudæ conventionis. *l.traditionibus. 20. C. de pact.* Quid interī dicemus de pretio feudi alienati, quod accepit venditor, restituetne dominus, vel repetet emptor à venditione? Resp. Bonæ fidei emptor repetit à vēditore per actionem ex empto. *c.1.in princ.de probi.feud.alie.per Frid.* Malę fidei verò emptor nullā habet actionem de evictione, nisi sibi expresse & nominatim sit de evictione stipulatus: quia imputet sibi, quod sciens emit rem alienam. *l.si fundum.C. de evict.* Retinebitne ergo pretium venditor, lucraturus etiam ex suo delicto, quod contra legem admisit? Minimè gentium, quia auferetur ei, & applicabitur fisco per condictionem ex lege, *c.1.§ callidis.de probi.feud.alie.*

per. Frider. juxta communem regulam. Quæ injuſtè acquiſita ſunt, fiſco cedunt. *l. Lucius. in fi. ff. de Iur. fiſc.*

Species alienationis eſt dotis datio, nam dos proprium eſt patrimonium filiæ *l. 4. ff. de collat. bono. l. pater. ff. ad l. Falcid.* Itaque pater cum filia in dotem dare feudum genero non poteſt. *§. donare. tit. Qual. ol. feud. pot. alien.* Et hæc eſt communis & recepta DD. ſententia, quam tanquam veriorem in camera Imperij obtinuiſſe refert *Minſ. 4. obſer. 86.* Sequitur & approbat *Hattyſerus in analyſi feudo. cap. 10.*

Cæterum ex fructibus beneficij pater poteſt & debet dotare filiam. Ideoque non prohibetur ſe ad dotem perſonaliter ex feudo obligare. Ita rectè ſalvantur Nobilium noſtræ ætatis uſurpationes, qui cum feuda filiabus in dotem dare conſueverunt; fructus ſaltem pro dote obligaſſe cenſeantur. *Vulte. cap. 10. de feud. nu. 57.* Vbi tamen in contrarium diſputat. At ipſa filia, ſi quod feudum rectè tenet, meritò dat in dotem marito, quia non transfert dominium in maritum per *tex. in c. 1. de eo. qui ſibi vel heredib. ſuis.* Nam quod dicitur matitum eſſe dominum dotis, impropriè & per fictionem accipi debet, non verè & naturaliter. *l. in rebus C. de jur. dot. l. quam-*

vis 75. ff. eod. l. doçe ancillam. C. de rei vend. Post uxoris igitur mortem feudum ad proximos ejus agnatos, vel his deficientibus, ad dominum revertitur; neque uxor potest per pactum efficere, ut maritus lucretur istam dotem. *c. 1. in. fi. de invest. de re alie. fac. c. 1. de invest. quam Titius accep. à Sempr.* Quod si feudum sit fœmineum, recte etiam à patre in dotem datur, quia tacita intelligitur feudi renunciatio, non alienatio; quæ renunciationis etiam præsumtio facit illud, ut specialiter recte filio detur in donationem propter nuptias. Quod de alienatione feudi dictum est, id etiam in oppignoratione verum est. *d. c. unic. in verb. vel oppignorare, de probi. feud. alie. per Frider.* modò & traditio accedat. Quinimo & hoc ad hypothecam extenditur, ita ut non liceat vasallo invito domino nuda conventione feudum hypothecæ dare. Verius tamen est, quod ex simplici oppignoratione feudi, vasallus non privetur feudo, nisi sequatur traditio & translatio rei feudalis in possessorem. Non enim cõstituitur pignus in rebus feudalibus sine inductione in possessionem, quantum ad hoc, ut quæratur jus reale, & agi possit hypothecaria: quia nulla realitas acquiri potest in feudo sine investitura. Ita intelligunt *Bald. & Alvara tex. in d. c. 1. de probi feud. alie.*

alie. per Frider. Quam ſententiam comprobat *Hartm. ab Hartm. lib. 2. pract. obſ. tit. de feud. quæſt. 20.* Idem dicas in permutatione & datione in ſolutum: ſunt enim & hę alienationis ſpecies, quæ venditioni æquiparantur. *l. apud Celſum. §. auctoris, ff. de excep. doli. l. 1. C. de fund. dotal.* Ex his apparet, quod datio feudi in emphyteuſin quoque prohibita ſit, ſine conſenſu domini; quia dare in emphyteuſin eſt alienare. *lib. 2. tit. 9. §. donare. tex. in l. ult. C. de reb. alie. non alien. No. 7. & 120. cujus inſcriptio eſt* de alienatione & emphyteuſi. Et hanc veriorem eſſe ſententiam, poſt *Curtium* tenet *Sonſbec. par. 12. feud. nu. 82.* Similiter vaſallus non poteſt conſtituere uſumfructum inter vivos, vel in ultima voluntate, ſine conſenſu domini in re feudali. *Gl. eſt notab. in c. 1. §. præterea. de capit. Corra. Chaſſa. in conſu. Burg. rub. 3. in verb.* en alimentation. Præterea legare vaſallus non poteſt feudum ſine conſenſu domini. *d. §. donare.* Ratio eſt, quia de feudis nulla poteſt in teſtamento fieri ordinatio. *lib. 1. t. 8.* legata autem non niſi in teſtamento vel codicillis relinqui poſſunt. *§. præterea. Inſt. de fidcico here.*

Adeò autem verum eſt, feudum non poſſe legari, ut etiam vaſallo legante feudum, non debeatur legatario res aut ejus æſtimatio. *Alvar. Bald. & DD. in d. §. donare. Præſ. Ever. in*

loc. à

loc. à feud. ad emphyt. nu. 16. per l. cum servus 49. §. ult. ff. de leg. ubi dicitur rei legatæ, cujus commercium non est, nec æstimationem deberi, sed ita est in feudo, ergo æstimatio non debebitur. Ita pulchrè post *Curtium* tenet *Sonsbec. par. 12. nu. 88.* quicquid dicat *Speculator* qui contrarium esse putat.

Alienatio feudi necessaria, puta ex condemnatione judicis, vel transactione bona fide facta, in qua probabilis suberat litis timor, vel justa ignorantia facta, non aperit beneficium domino, ac nemini acquirit. *Alvar. in c. 1. Quæ fue. pri. cau. benef. amit. tex. est clarus. in c. 1. §. si Vasallus de beneficio. Si de feu. def. conten.*

Planè feuda cæteris bonis deficientibus creditoribus, consentiente domino feudi, in perpetuum in solutũ dari & distrahi possunt, omni spe successionis agnatis præcisa, aliâs fructus feudi tantum à vasallo, non etiam ipsum feudũ distrahi debet pro æris alieni exolutione. Ita se vidisse practicatum & decisum notat *Wesenbecius* in causa creditorum Comitum Mansfeldensium, *in cons. 50. & in paratitl. ad tit. ff. de reb. auct. jud. poss.* Item excusatur vasallus à pœna caducitatis, quando alienat salvo Domini beneplacito: vel si alienet sub conditione, si Dominus contractũ approbet & ratificet. *Bald. in c. 1. §. hoc quoque de succes. feu.*

Non

Non est autem sufficiens clausula ad evitandam amissionem, si alienavit feudum, adjecta hac clausula, *salvo jure domini*; qnia non tantum jus domini hic agitur, sed etiam reverentia ipsi debita consideratur, & reservatione illa non facta, domino etiam jus suum salvum manet. *Vulte. c.* XI. *de feud. nu.* 44.

Ab his omnibus casibus differt subinfeudatio: nam beneficiarius rem feudalem alteri in feudum dare potest sine consensu domini, sicque in eadem re sibi Vasallum constituere: quod *subinfeudare* dicitur. §. *Illud. de prohib. feu. alie. per Frid.* vulgò appellatur *een affterlehen.* In quo differentia est vasalli & domini: dominus alium dominum feudi constituere nequit: Vasallus alium vasallum rectè facit, scilicet quia cum persona domini mutatur genus servitij. Quod in vasallo ita non est, nam æqualis omninò priori esse debet, & ejusdem conditionis & gradus: & ijsdem pactionibus & legibus constitui. *c. 1. §. pen. de l. Corra.* Denique hæc subinfeudatio absque fraude fieri debet. Vnde si vasallus accipiat pretium, dicatque pro investitura se illud accipere, ne videatur venditio, in dolo versabitur, nec subsistet quod agitur. *lib. 2. tit. 34. §. similiter. & tit. 54. §. callidis.* Quando autem vasallus alium subinfeudat, tunc secundus vasallus

vaſallus etiam mortuo primo vaſallo retinet feudum, & non poteſt à domino feudo privari. *c. 1. Qual. ol. pot. feud. alie.* Quod ſecus obtinet, ſi feudum ſit antiquum, quia tunc agnati poſt mortem ſubinfeudantis mortui ſine liberis, feudum poſſunt revocare: reſoluto enim jure datoris, reſolvitur jus acceptoris. *c. 1. §. rurſus de contr. inveſt. l. lex vectigali. ff. de pigno. Curt. 4. par. tract. feud. nu. 85.* Quod ſi primus vaſallus feudum amittat per culpam commiſſam in dominum, tunc non ſolum ipſe, ſed etiam ſubinfeudatus amittit feudum. *Iac de Belvi. Si de feu. inveſt. ſit contro. §.* Rurſus: Illud hic convenienter notandum, quod dominus etiam invito vaſallo alium de feudo inveſtire nō poteſt, ſive jus ipſius vaſalli permutare, ſive pignori dare. *c. 2. tit. Quo temp. mil. inveſt.* Similiter non poteſt dominus jus ſuum, quod habet in feudo, in alium extraneum transferre abſque domini voluntate. *§. præterea ducatus. de probi. feud. alie. per Frider. §. ex eadem. de l. Corra. §. ult. tit. Qual. ol. feud. pot. alie.* Ratio eſt, quia ferè in omnibus ad paria judicantur dominns & vaſallus. *c. unic. de for. fidel.* Sed vaſallus non poteſt jus ſuum abſque domini voluntate in alium transferre. *d. tit. de prohi. feud. alie. per Frider.* Nec poteſt etiam alium conſtituere vaſallum, qui ſerviat pro eo,

ut in

ut in *tit. de l. contra.* §. *similiter.* Ergo nec dominus potest feudum suum, ejusve partem sine voluntate vasalli in alium transferre. Quæritur hic aptè, an feuda dividi possint inter coheredes consentiente Domino, divisio enim est species alienationis, sive emtionis *l. 1. C. Com. utr. jud.* At emtio feudi non tenet, *feud. 2. tit. 55.* Et deciditur feuda magna dignitatum, hoc est feuda regalia non recipere divisionem, ut sunt Ducatus, Marchia, Comitatus, quia in illis solus primogenitus succedit. Itaque ditiones regales Ducatuum, Marchionatuum, Comitatuum, veluti immediata Imperij membra, dominio utili, dignitate vel titulo non possunt dividi, quanquam administratio & emolumenta propter publicam tranquillitatem aliquando dividantur. §. *præterea ducatus. tit. de prohi. feu. alie. per Frider.* Ratio duplex est, prima ne dignitas divisa diminuatur & ad nihilum redigatur: deinde quia utilius est subditis, regi per unum, quam per plures. *l. 2. §. novissimè. ff. de orig. jur.* At feuda inferiora non habentia annexam dignitatem sin consortes voluerint, etiam sine consensu domini dividi possunt, quamvis unus tantum ex coheredibus ad divisionem provocet. *lib. 2. tit. 55. §. præterea ducatus. lib. 2. tit. 26. Si de feu. def. conten. §. omnes filij.* Ratio est, ne coheredes

heredes & consortes cogantur inviti in communione manere, quia cõmunio multas solet excitare discordias. *l. cum pater.§.dulcissimis. de leg.2.* Nec obstat, quod dicitur divisionem emtionis speciem obtinere. *d.l. 1. C. Com. utr. jud.* Nam propriè divisio non est emtio, siquidem per divisionem nihil extra familiam vasallorum quibus feudum concessum est, alienatur, ideoque domino non præjudicatur. Latè & pulchrè tractat hanc quæstionẽ *Duare. c.12.feudo.nu.12.Olden.in Topic.in loco, à causa generaliter. Vulte.lib.1.feudo. c. 8. num. 26. Fachin. lib.7.contro.c.ult. Gail.lib.2.Obser.c.153.* qui omnes tradunt, quod feuda etiam sine consensu domini inter coheredes dividi possunt, etiamsi unus tantum vasallus ad divisionem provocet, refertque *Gail. d. loco.* se vidisse hanc opinionem de facto confirmatam. Hanc quoque decisionem amplectuntur & approbant *Alex. consil.7.lib.5. Ias.in l.stipulationes non dividuntur, nu.31.de verb.oblig.Molin.ad consu.Paris.tit.1.§. 10.nu.4.& 35.nu.2.Fach.lib.7.contro. c.ult.*

Sextò inficiatione feudum amittitur, ut si vasallus dolosè feudum esse neget, & mendacij convictus fuerit. *tex. est ad literam in c.vasallus feudum.si de feu.conten. fue.int.dom.&c.*

Septimò ex delicto insigni, etiamsi non cõtra dominum fuerit commissum, feudum extingui-

tinguitur. Ejus generis eſt parricidium, inceſtæ nuptiæ, aut ſi hominem proditoriè occidat: quoniam ſequente illum abominabili infamia, non poſſet in curia domini ullo pacto verſari, aut ſervitia præſtare. *c. unic. §. item ſi fratrem. Quib. mo. feud. amit. c. 1. §. fin. Quæ fu. pri. cau. benef. amit.* Infamia verò facti notatus vaſallus, cujus nempe opinio apud bonos & honeſtos viros gravata eſt, feudum non amittit. *c. 1. §. illud. Quæ fue. pri. cau. benef. amit.* Sæpè etiam ex delicto tertij Vaſallus à feudo cadit, vt ſi domeſticum habeat, qui Domino gravem iniuriam fecerit, hic abdicandus illi eſt, aut ſi nolit, feudo privatur. *§. inſuper. de probi. feud. alie per Fride.* ſcilicet quia colluſio quædam videtur vtriuſque: ac certè improbum eſt ejus fovere inimicos, à quo quis beneficium habet.

Octavò propter ingreſſum religionis, aut incidens vitium corporis amittitur feudum, propter quod inhabilis fiat Vaſallus ad præſtanda obſequia: verbi gratia, ſi furor perpetuus, aut dementia incidat, vel ſi vaſallus accedente morbo factus ſit mutus, aut ſurdus, quo tamen caſu beneficiario nihil delinquenti relinquuntur alimenta, ſecundum feudi qualitatem. *c. 1. §. fin. Epiſc. vel Abba. toto tit. An mut. vel al. imperf. feud. retin.*

Nono,

Nonò amittitur feudum, si vasallus domino suo manus impias inferat, aut in ejus castrum violentum impetum faciat, aut denique si ejus fortunis & famæ grande præjudidicium inferat. *c. 1. §. porrò si dominum. Quæ fuit pri. cau. benef. amit.*

Decimò feudum amittitur, si vasallus, uxorem, matrem, filiam, sororem, nurum, aut neptem sui domini cucurbitaverit, id est stupraverit, vel eas de stupro sollicitaverit, aut turpiter cum ijs luserit. *c. unic. §. 1. Quib. mod. feud. amit.* Quod tamen limitatur ut non habet locum, si ignorans cum uxore domini dormierit, ut si uxor impudica larvata ad domum domini venerit, *arg. l. item apud Labeonem. §. si quis virgines. ff. de injur. arg. c. in lectum. ubi est pulcher tex. 34. q. 2.* Quod si viduam domini stupraverit vasallus, propter hoc non amittet feudum, quod Lotharius significare videtur *in c. 2. de feudo sine culp. non amit.* etsi quidam dissentiant. Ita tenet *Baro lib. 3. feud. c. 3.* quod approbat *Sonsbec. par. 12. feud. nu. 17. per tex. in c. 2. de feud. sine culp. non amit.* qui requirit, ut domino vivente istud fiat. Præterea in pœnalibus nihil aut parum extendi debet. *l. interpretatione. ff. de pœn.* Et ubi verba clara sunt, non est locus conjecturis.

Vndecimò amittitur feudum, si vasallus

accuſet dominum criminaliter, vel contra eum in criminali cauſa teſtimonium ferat. *d. c. 1. §. Item ſi delator. Quæ fu. pri. cau. benef. amit*. Improba enim eſt vox vaſalli contra dominum. *l. Lege Iulia. ff. de teſtib.*

Duodecimò feudum amittitur, ſi vaſallus ſciens domino inſidias ſtrui, aut grave exitium ſeu periculum vitæ vel bonorum ei imminere, non fecerit eum certiorem, ut periculum evitaret. *d. c. unic. §. præterea ſi Vaſallus. Quæ fu. pri. cau. benef. amit.* Et eſt hic caſus, in quo ob ſolam ſcientiam privatur quis beneficio, quod ſingulare eſt.

Decimotertiò feudum amittitur, ſi vaſallus ſciens dominum carceri incluſum vel captum eum, cum potuit, non liberavit. *d. c. 1. §. Item ſi delator*. Quod tamen limitatur, niſi dominus propter delictum vel debitum ſuum carceri fuerit incluſus, tunc enim vaſallus non tenetur ipſum ex vinculis liberare, vel pecuniam contribuere pro redimendo domino ex carcere vel vinculis. *arg. c. 1. §. licet. Si de feu. def. conten. Iac. de S. Georg. in verb. Qui quidem inveſtiti. nu. 77. Curt. in tract. feud. par. 4. nu. 75. Schrader. in tract. feud. par. 9. c. 8. nu. 9. 10. & 11.*

Decimoquartò feudo privatur vaſallus, ſi abutatur jure feudi, & feudum inordinatè admini-

ministret. *lib. 2. t. 27. §. quicunque advocatiam.*

Postrema regula est, ut quocunque nomine jure civili filij à patre exhæredantur, (*quod tractatur in §. aliud. Auth. Vt cum de app. cognos.*) quocunque nomine matrimonium dissolvi potest, (*de quo in l. consensu. C. de. repud.*) & ex quocunque crimine solet revocari donatio, (*de quo in l. fin. C. de revo. dona.*) eodèm etiam feudum amitti. *d. §. prædictis. Quæ fu. pri. cau. benef. amit.*

Denique notandum, quod vasallus ob feloniam vel grave crimen in dominũ admissum, feudum non amittat ipso jure, sed quod præcedere debet sententia Parium Curiæ, qua de delicto & offensa in dominum admissa appareat. tex. apertus in *c. 1. de feud. sine culp. non amit.* & rotundus tex. in *c. 1. Quo temp. mil. invest.* vbi hæc verba recitantur, *Sancimus ut nemo miles adimatur de possessione beneficij sui, nisi convicta culpa, quæ sit laudanda per judicium Parium.* Si tamen Vasallus sine consensu Domini feudum alienavit & tradidit, tunc ipso jure, sine sententia declaratoria Parium Curiæ, beneficio suo cadit. *§. callidis. in verb. feudum amittant, & liberè ad dominum revertatur. tit. de probi. feud. alie. per Frider.* Ita decidit & notat quoque *Baro ad tit. de feud. sine culp. non amit.* [illegible] *lib. Obs. 2. cap. 15.* Dissentit

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1898

Sonsbec par. 13. feudor. nu. 188. text. quoque rotundus pro prædicta sententia *in c. 1. in fin. Qu. mo. feud amit. in verb.* & si alienaverit feudum sine domini voluntate, jure ad dominum revertitur.

CAP.

CAP. IX.

Ad quem feudum commissum recidat.

FEuda aperiuntur quatuor modis, delicto, præscriptione, refutatione, & defectu, sive corporis vitio.

Ex gravi crimine, quod Vasallus etiam committit contra extraneum, ut est, proditio, parricidium, jam dixi subinde jus feudi cessare, at ita cessat, ut & vasallus privetur feudo, & quotquot ex eo descendunt. Interest quippe domini habere vasallos probatæ stirpis: at in filijs, & reliquis descendentibus, paterni, hoc est, hereditarij criminis exempla metuuntur. *arg. l. quod si nolit. 31. §. qui mancipia. ff. de ædil. edi.* Transfertur itaque feudum hoc modo ad proximos agnatos, si paternum sit, exclusis filijs descendentibus. *lib. 2. tit. 31. & c. 1. §. si vasallus culpam. Si de feu. defun. conten. sit.* Sin novum est, ad dominum revertitur. *tit. Quæ fuit pri. cau. §. si verò non c. 1. de vasal. qui cont. const. Lotha.* Et quidem ad agnatum proximiorem hoc casu feudum devolvitur. *per c. 1. §. fin. Quæ fu. pri. cau. benef. amit. & c. 1. An ille qui interfe. frat. dom.* Etsi interpretes vulgò existimaverint feudum de-

 volvi

volvi tantum ad eos agnatos, qui tempore commissi delicti quarto aut ulteriore gradu à delinquente absint, exclusis agnatis, qui sunt secundo aut tertio gradu, *per tex. in c.1. §. si vasallus culpam. Si de feu. def. conten. & c. 1. Si vasal. feud. prive.* Tamen ea sentētia tanquam insulsa & dura exolevit, & usu non servatur. *Vulte. c.* XI. *de feud. nu. 71.* Hactenus de delicto commisso contra extraneum. Ex felonia contra dominum, ita vasallus feudo privatur, ut totum fiat domini, exclusis non tantum descendētibus, sed & agnatis universis, ut rectè *Bald. & Alvar. tradiderunt in fi. tit. Quæ fu. pri. cau. benef. amit. contra Glos. in tit. de succes. feu.* Et hæc est communis DD. opinio, à qua in judicando non esset tutum discedere, *teste Curt. 5. par. tract. feudo. nu. 2.* Ratio decidendi est, quia feudum ab initio sub hac conditione censetur datum, ut si vasallus, & omnes ab eo descendentes ingratitudinis notam committāt erga dominū, dominus possit feudum ad se revocare. *d. c. 1. §. fin. Quæ. fu. pri. cau. benef. amit. in verb.* ut dominus hanc saltem habeat injuriæ suæ ultionem. *c. 1. An ille qui interfe. frat. domini sui. &c.*

Fallit hæc regula, si simul & conjunctim omnibus agnatis feudum concessum sit, quæ vocatur simultanea investitura, vel propter singulorum præstita beneficia in dominum colla-

collatum ſit; tunc enim in perſonam cujuſq; Vaſalli principaliter feudum collatum cenſetur: neque feudum accipiunt tanquam ſucceſſores primi vaſalli, ſed ut nominatim per ſe inueſtiti. *Bald. in c. 1. Si vaſal. feud. prive:* Et hæc eſt communis DD. opinio.

Secundò fallit regula, ſi connivente domino perpetratum ſit delictum, eo fine, ut vaſallus feudo privaretur, & ad ſe rediret. Nam vaſallus ſemper quidem excidit feudo meritò, qui improbus eſt in uxorem, in familiam domini. Cadit igitur (ut dictũ eſt) Vaſallus feudo, ſed domini pœna eſt, ut quia ſciens prudenſque in crimen conſentit, huic nihil acquiratur, ſcienti enim & volenti non fit injuria. *c. ſcienti. de Reg. jur. in 6to.* Quod ſi Prælatus ejus eccleſiæ quæ feudum tenet, in patronum tale crimẽ committat, quod finem feudo faciat, dum vivet Prælatus, feudo caret eccleſia. *§. fin. de capit. Corra.* utpote ex quaſi delicto, quæ malum adminiſtratorem præfecit. *arg. §. Item exercitor. Inſt. de oblig. ex qu. delic.* At cum Prælato mortuo pœna quoque ceſſet, feudum redit ac eccleſiam. Etenim eſſet iniquum delictum perſonæ in detrimentum eccleſiæ redundare. *c. delictum. de R. I. in 6.*

Hactenus de feudo quod per delictũ amittitur, dictũ ſit: hoc ſaltem addendũ, quod illi-

cita alienatio facta à vasallo, sine domini consensu videatur etiam delicti species. Feudum igitur hoc modo alienatum, si novum est, statim ad dominum ipso jure revertitur, exclusis liberis & agnatis. *c. 1. §. fin. Quæ fuit pri. cau. benef. amit.* Si antiquum feudum est illicitè alienatum, ad agnatos pervenit exclusis filijs. *c. 1. de alienat. feudi.* Notandum autem agnatis ad revocandam alienationem feudi intra annum actionem dari, post annum ex quo sciverunt alienatum esse beneficium, non audiuntur. *lib. 2. tit. 26. §. Titius.*

Feudum quod per præscriptionem amittitur, id meritò plenè ac integrè domino quæritur. Si refutatione, dictum est non multò antè, id non posse fieri cum cujusquam præjudicio. Itaque si Domino refutatum est, mortuo eo qui refutavit, redit ad eos qui sunt proximi. Vnde feudum antiquum refutatum redit ad agnatos: imo feudum antiquum refutatum refutantis filij tanquam ex avita successione petere possunt. *tit. de succes. feu.* Si novum est feudum, redit ad dominum. *Baro. lib. 3. de feudis. cap. 6.* Quartò & ultimò defectu feudum aperitur, ut si mutus sit, surdus, aut aliâs imperfectus factus, hoc casu si feudum antiquum sit, ad filios vel agnatos revertitur, sed si inops sit, tantum ei relinqui

debet

debet, ut se sustinere possit, novum verò feudum ad dominum, filijs & agnatis exclusis, devolvitur. *Alvar. in §. fin. de capit. Conr.* Idem dicas, si filius Clericus sit factus, aut monasterium ingressus. *Zaz. par. 5. feud. nu. 91.*

CAP. X.

De feudis improprijs.

DE communibus feudorum regulis dictum est satis, at quædam feuda impropria sunt, quæ à superioribus recedunt, quo fit, ut feudorum quædam propria, quædam impropria dicantur. Fiunt impropria feuda per pactum, nam & civiles contractus Romanorum rectè pacto variant. *l. pacta conventa 72. ff. de contr. emp. l. contractus. 23. de reg. jur.* Sed hæc pactorum libertas quatuor modis restringitur: Primò non valet pactum contra bonos mores feudorum jure, & jure communi. *l. pacta. 6. C. de pact.* Secundò non valet pactum contra substantiam contractus, at valet contra naturam contractus: sine substantia res esse non potest, at à natura sua recedere potest: substantiam dicimus, quæ rem comitatur necessariò: naturam, quæ probabiliter ac plerunque. Homo promitti sine

animo & corpore non poteſt, at ſine pede altero præſtari rectè poteſt. Emptionis ac venditionis ſubſtantia in merce, pretio, ac conſenſu conſiſtit. §. 1. *Inſt. de emp. & vend.* Natura eſt, emtorem teneri de evictione, & de periculo. *toto tit. de evict. & tit. de peri. & com. rei vẽd.* Sine naturalibus res eſſe poteſt, ſine ſubſtantialibus nequaquam. Non valet igitur pactũ, ne pretium detur. *l. cum in venditione 36. ff. de contr. emp.* At valet ut venditor de periculo rei venditæ teneatur. *l. 1. ff. de peri. & com. rei vend.* Item ne venditor teneatur de evictione. *l. ex empto 11. ff. de act. emp.* In feudis ſubſtantiale eſt, ut ſit rei immobilis, ut ſit gratuitum ex beneficio: Vtrunque ſimul complectitur. *tex. In qu. cau. feud. amit. §. fin.* Adde fidelitatem, à qua nomen accepit. *§. fin. Per qu. fi. inveſt.* Itaq; ſine his nullum intelligitur feudum, ſed alius aliquis contractus. *tit. de feu. dato in vic. l. commis.* At fidelitatis juramentũ poteſt pacto remitti. *d. tit. Per qu. fi. inveſt. in fi.* Nam fidem præſtare ſubſtantiam reſpicit: juramentum fidelitatis naturam tantum cõcernit: nec enim propterea videtur remiſſa fides, ſi remittatur juſiurandum fidelitatis. Item natura feudi eſt, ut frater in novo feudo non ſuccedat, ut dixi ſupra ex regula,

Feuda acquiruntur nobis, & noſtris poſteris tantum.

Hinc

Hinc per pactum rectè receditur. *tit. de frat. de no. benef. invest.* Natura feudi est, ne mulieres succedant: *c. 1. de alie: feud.* At & hoc rectè mutatur, si vel muliebre est feudũ, vel si masculinum sit, pactũ accesserit, de fœminarum successione. *c. unic. De eo qui sibi vel hered. suis masc. & fœm. c. unic. de feud. fœm.* Quo utroque casu fides mulieris electa est, non ut ipsa serviat, quod non potest, sed in alio diligenter ex bonaque fide substituendo, per quem serviat. Muliebre voco, de quo omnium primò investita est mulier. *c. 1. de natu. succes. feu.* Succedẽt autem fœminæ masculis non extantibus; qui si extent, excluduntur fœminæ, licet feudum sit fœmineum. *c. 1. de feud. fœm.* Et ista est communis DD. opinio, *teste Curtio, 3. par. quæst. 1. nu. 3.* Pactum quo mulier admittitur, duplex est, vel hoc ut succedant sicut masculi, dum cum masculis simul admittuntur: quod probat *Cujac. lib. 1. feudo. & Fachin. lib. 7. controver. c. 43.* Vel illud, ut succedant cum masculis. Hujus pacti ea vis est, ut in feudo quidem succedat, sed non cum masculis: sed ita ut deficientibus masculis fœmina admittatur, at extantibus masculis excludatur. *c. 1. §. filia. de succes. feud.* Quæ receptior est sententia *Gerardi in. §. quinetiam. Epis. & Abba.* ubi est clarus & insignis *tex. tit. De eo qui sibi vel hæred. suis masc. contra Obertum §. similiter. de Capit. qui cur. vend.*

Præter hos casus succedit etiam fœmina in feudis, si fœmina redemisset pecuniâ feudum à domino, vel si dominus ptopter amorem & servitium patris, filiam fœminam investiret. *tex. in c. unic. & ibi Hotom. Quem. feu. ad fil. pertin. Zaz. de feu. succes. nu. 40. Curt. part. 3. quæst. 1. nu. 4.* Exclusa autem semel per masculos superstites filia, nec universa ejus posteritas etiam mascula admittitur, nam per fœminam conjungitur, quæ antea semel exclusa est, meritò igitur sequitur caput & authorem suum. Quæ est communis DD. sententia ad *d. §. Quin etiam. teste Curt. in 3. par. princ. quæst. 1. nu. 32.* Quod si semel admissa sit fœmina propter defectum masculæ sobolis, eo tempore, quo feudum vacabat, deinceps excludetur per masculnm, si deinceps masculus superveniat, non obstante, quod feudum videatur effectum fœmineum. *tex. est in c. 1. De eo qui sibi & hæred.* Ita sentit *Curt. in 3. part. princ. quæst. 1. nu. 17.*

Illud postremò notandum in fœminarum successione. Quod si duo fratres de novo beneficio pro se & heredibus suis masculis & fœminis investiti fuerint, atque alter ex eis, altero adhuc superstite, relicta una filia decesserit, ejusdem portio filiæ, non fratri deferetur. *c. unic. de duo. fratr. à Capit. invest.* Ex quo enim

enim feudum ſtatim ab iuitio duobus ſimul conceſſum fuit, quiſque meritò ſuis deſcendentibus potius quam collateralibus conſuluiſſe creditur.

Quartò pacta accedere non poſſunt in præjudicium alicujus tertij. *tit. de alien. feudi.*

Poſt feuda improprij generis, quæ per pacta (ut ſic loquar) impropriantur, eſt feudum de Camera, & de Cavena, & de Soldata. Hæc ferè ſunt eadem, conſiſtunt in annona, aut nummis aſſignatis. Camera ærarium in feudis eſt; id eſt conclave in quo ſervatur pecunia Principis. Cavena eſt cella, in qua vinum, frumentum, oleum vel annona Principis aſſervatur. Feudum de Camera vel Cavena eſt, quando Principes conſtituunt annuum reditum in pecunia, aut certam quantitatem vini, olei, frumenti, &c. Simile quiddam eſt, quod fieri ſolet à noſtri ſæculi Nobilibus, qui pecuniæ ſuæ feudi naturam à Principibus indui curant. Notent id qui pecunias nunc in Principum Cameras locant, feudaleſque faciunt, & ſimul cogitent illud Sapientis *Eccles. 8. vers. 15.* Ne dederis pecuniam tuam mutuò potentiori, ſin autem dederis, quod amiſeris, cogita.

Porro notandum eſt, quod tale feudum non debet dari, niſi cum ſit in camera, vel ca-

vena tali, unde ſolvi debebat tantum, quod præſtari poterat: vel ſi ita eſt evacuata camera vel cavena, ſine culpa promiſſoris, expectandum eſt, donec iterum de camera, vel cavena poſſit ſolvi. Dominus autem feudi dare poſſe intelligitur omni ære alieno deducto. Ita eſt *tex. expres. in c. 1. de not. feudo.* Quæ deciſio fuit practicata inter Ludovicum Electorem Palatinum, & nobilem Theodorum de Rodeck, cui à Palatinatu conceſſi fuerant in feudum reditus 25 aureorum, percipiendi de bonis, fructibus, ſeu reditibus dominij *Ortenaw*, quod dominium Comes Palatinus cum omnibus fructibus & proventibus amiſerat. Vnde videbatur dicendum, quod non teneatur, quia in literis feudalibus dicebatur, quod de reditibus ſeu proventibus in *Ortenaw* ſingulis annis haberet 25 aureos in feudum. Et ſic illa verba denotant locum, ex quo percipi & ſolvi debeant, & ſunt adjecta cauſa taxationis. Ergo tantum de dicto loco fieri debuit ſolutio, quo perdito, ceſſat feudi præſtatio. Ita pulchrè cõcludit & decidit *Wurmſerius in pract. obſervat. tit. de feudis, obſerv. 2.* De Soldata *tex. eſt in tit. Quis dicatur dux. &c.* Eſt autem feudũ ſoldatæ, cum nobili in paupertatẽ redacto annua datur proviſio. Soldatum veteres appellarunt eum, cui ſtipendia ab Imp. promiſſa erant, vulgò dici-

mus

mus eum *een Soldaet*, pro ſtipendiato; ſicut ſtipendium, *een beſoldinge*. Hæc duo impropria ſunt feuda, quod non tranſeunt ad hæredem alterius, ſed morte vel patroni vel vaſalli ſimul moriuntur. *tex. in d. c. unic. Quis dicatur dux, &c.* Accedit, quod dominus ad eorum ſolutionem non aliter teneatur, quam ut non egeat ipſe, item deducto ære alieno, quod in feudis exemplo aliarum donationum etiam utiliter introductum eſt. *tit. de not. feudo. c. 1. in fi. de feu. cognit.*

Quartum eſt feudum Guardiæ & Caſtaldiæ. Guardiæ feudum cuſtodem facit rei dominicæ; Caſtaldiæ procuratorem. Guardiæ feudũ eſt, quod arcis tuendę, aut territorij cuſtodiendi gratia datum eſt, ſicut initio haud dubiè feuda conſtitui ſolebant. Guardia enim idem eſt quod cuſtodia, dictum à Germanico verbo *Warden*, id eſt, obſeruare, quaſi dicas cuſtodiã. vide *h. Zaz. c. 12. nu. 13.* Caſtaldiæ feudum eſt, ſi Dominus eligat caſtaldum, ſeu rerum ſuarum gubernatorẽ, eamq; in rem feudum annexuerit. Caſtaldia enim idem eſt quod gubernatio, qua res domini gubernantur, & Caſtaldi gubernatores vel vicedomini dici poſsũt: & ſunt inſtar Oeconomorũ, ſeu procuratorũ prædiorũ, quibus res domini gubernãdę cõmittũtur. de quibus fit mentio *in l. jubemus. 14. C. de ſacr. eccles.*

eccles. & *in l. fin* & *ibi not. C. Quod cum eo. qui in al. pot.* &c. Hæc unius tantum anni sunt. *tit. de feud. guard.* quia officia olim non durabant nisi anno. *l. præsidis. 34. ff. Si cer. pet.* Itaque si pretio hoc feudum vasallus teneat, integrum tamen est domino anno finito eum deponere, etiam non restituto pretio. *d. c. 1. de feud. guard.* & *castald.* nam in dubio contrahi intelligitur ex communi contractus natura, & imputet sibi vasallus, qui cum talia scivisset (ignorare enim non debebat) pretium solverit. *arg. l. 1. ff. de cond. inde.* Possunt etiam appellari feuda degenerantia, quod à rectorum feudorum natura degenerant, in quorum numero feuda etiam conditionata recensentur: in quibus si servitium sit in facto individuo, heredes non omnes servient, sed aliquis qui sit idoneus præsentabitur, qui omnium nomine servitia præstet. *arg. l. jam tamen. 5. §. si tamen plures. ff. Iud. solvi.* Si autem servitium dividuum sit, quilibet heres pro portione hereditaria hoc explicabit. *arg. l. Ea quæ. 6. C. Famil. ercisc.* Sunt & plura feuda impropriorum nomine venientia, quæ videre est apud *Zaz. in epit. feudo. par. 12.*

Hæc dicta sunt de feudis improprijs, quibus postremò hæ duæ regulæ addi debent, quæ clavum tenent hujus capituli. Prima est,

Feuda.

Feuda propria præsumi semper, nisi probentur impropria. *Salyc. in l. neque natales. C. de proba.* Secunda est, Quod quoties in certis partibus mutatur propria natura feudi, tunc in alijs partibus semper retinetur & servatur propria feudorum natura. *lib. 2. tit. 48. de feudo. non haben. propr. natur.*

CAP. XI.

De controversijs feudalibus.

IN hoc capite duo tractantur; primò, de competentia judicis, hoc est, apud quos judices quæstio feudi agitari debeat. Secundò, quis modus procedendi sequendus sit in probationibus.

Materia prioris partis tractatur à DD. in hisce titulis, *Apud quem feud. contr. defin. deb. tit. De contr. feu. apud pares. tit. An apud jud. vel cur. dom. tit. De contr. inter vas. & dom. de investit. feudi. à Zazio par.* XI. *feud. Curtio par. 7.*

Ex his quæ præcipua sunt hac in parte, complectar quatuor regulis. Nam vel inter vasallos duos de feudo lis est, vel inter dominum & vasallum, vel inter vasallum & extraneum, vel inter dominnm & extraneum. Cum duo vasalli ejusdem domini litigant, domini co-

gnitio est, dummodò dominus suspectus non sit. Quod si dominus suspectus est, ut si dominus partem feudi sibi retinuit, ex justa causa, Pares Curiæ cognoscunt. Hoc sensu loquitur *tex. An apud judicem, vel cur. dom. &c.* Pares Curiæ dicuntur, qui feudum habent in eodem territorio, in quo beneficium controversum est, sic dicti, non quod pares sint domino, sed quod pares sint inter se, respectu Curiæ. *c. 1. in princ. Si de invest. int. dom. & vasal. lis oriat. c. 1. in princ. & §. si enim domino. tit. Quid sit invest.*

Quod si verò Pares Curiæ nulli sunt, ordinarius judex ejus loci cognoscit, aut compromissum fit in arbitrum. Hoc modo debet accipi *tex. de invest. in marit. fac.*

Secundò inter dominum & vasallum contenditur, siquidem ita, ut vasallus neget se esse vasallum, vel dominus dicat bona esse allodialia, non feudalia, cognitio est ordinarij judicis. *§. si duo. tit. de pace tenen.* vel arbitri, si vasallum se esse confiteatur: sed de investitura aut usu feudi quæstio sit, utputa si dicat, sum vasallus tuus, non nego, id dico, ad tale servitium me non teneri, aut tale feudum mihi ad hoc deberi; item nego feudum esse commissum, refutatum, tunc cognitio est Parium Curiæ. *c. 1. §. si inter. de alie. feu. pater. c. 1. §. præterea si inter. de prohi. feud. alie. per Frid.*

Frid. c. 1. in princ. de feud. sine culp. non amit. c. 1. §. sancimus ut nemo miles. Quo temp. mil. invest. pet. deb §. si qua controversia, & ibi Bald. de pace Constan. non verò ordinarij judicis. Qua de re tota vide *Minsin. cent. 1. obs. 99. & centu. 5. obs. 75.* Debent autem hi Pares eligi utriusque partis, id est domini & vasalli consensu. *c. 1. de contr. feudi. apud Pares term.*

Tertiò si inter vasallum & extraneum, utputa de finibus aut servitute controversia oriatur, rectè agit excipitque vasallus. In qua re ita constitutum est, ut vasallus si absolvatur aut condemnetur, id præjudicet domino. *tit. Si inter vasal. & dom.* Ratio est, quia imputet sibi dominus quod laboranti & periclitanti causæ non adfuerit. Quod ad forum attinet, sequitur hic actor forum rei, agiturque causa coram Ordinario jure aut arbitro, ex jure Civili. *l. fin. C. Vbi in rem actio. &c.* Quartò idem postremò dicemus, si dominus cum extraneo litigat, nam rei forum sequi debet. In eo differentia est, vasallus agit periculo domini, si minus acceperit, quã dominus promiserit, dominus semper tenetur: dominus periculo vasalli non agit, sed semper suo: nam etsi condemnetur in eo feudo, quo vasallus utebatur, tamen semper vasallo libera est actio ad rei æstimationẽ, vel ad rem æquivalentem.

Sequitur nunc altera capitis pars de probationibus. Modus procedendi in probando, in constituto semel feudo diversús est ab allodijs; potissimum est de juramento calumniæ, & de probationibus. Iure civili qui jusiurandum defert, prius ipse jurat de calumnia. *l. ult. C. de fideicom. l. 34. §. 4. ff. de jureju.* In feudis, seu vasallus domino, seu dominus vasallo deferat jusiurandum, neuter jurat de calumnia. *§. in quibus. de consuet. rec. feu.* propter tacitam utriusque fidem. Probationum etiam in feudis nova ratio est, id nunc postremo loco annotabitur, ac prius in causa civili, deinde in criminali. Civilis causa feudorum est aut de investitura, aut de successione. Criminalis causa dicitur feudum commissum. De investititura quæstio est, cum vasallus dicit se à domino investitum, itaque feudum suum esse dominus negat. Hoc casu si actor sit vasallus, tenente feudum domino, probanda est vasallo investitura, hoc modò, ut si feudum vetus dicat, probet per breve testatum, id est, per instrumentum clientelare, aut duos testes, qualescunque, dummodò non sint fœminæ. *§. de veteri. tit. Qui test. sint neces.* Si novum feudum dicitur, testes probandæ investituræ duos esse oportet Pares Curiæ. *§. nam si instrumentum tit. Quid sit invest.* Ratio utriusque hæc est, quod

quod in inveſtitura novi feudi teſtes tantum Pares Curiæ adhibentur; in veteri verò feudo etiam extranei admittuntur, quia ſi vetus feudum non poſſet probari niſi per Pares Curiæ, quorum fortè aliqui diſceſſerunt, manifeſta fieret injuria vaſallo *lib. 2. tit. 32. §. novā.*

Nunc & illud expediendum eſt, ſi feudum ſit eccleſiaſticum, etiam ſi novum, rectè tamen quoſlibet teſtes admitti, ut in inveſtitura, ita in probatione. *§. in clericorum. Si de inveſt. contr. ſit intr. dom. &c. Non obſt. tex. tit. Qui teſtes neceſs: ſint. in princ.* quia loquitur de feudo quod clericus ex re propria dedit, non eccleſiaſtica. At quid ſi Pares Curiæ mortui ſint? ſufficient quicunque etiam. Idem dicendum eſt, ſi Pares Curiæ venire nolint. & dominus eos non cogat. *§. quod ſi jurare, tit. Quid ſit inveſt.* Quid ſi deficiat probationibus vaſallus? Iure civili actore non probante reus abſolvitur. Iure feudorum ita conſtitutum non eſt, quod dicetur paulò poſt.

Quod ſi vaſallus non eſt actor, ſed dominus, tenente feudum vaſallo, domino incumbet probatio. Quod ſi probet quod vult, meritò obtinet. Si non probet, non ſtatim abſolvitur reus, ſed aut jurare debet vaſallus, aut actori juſiurandum referre. *§. ſi verò vaſallus. tit. Quid ſit inveſt.* Iurare inquam debet cum

decim ſacramentalibus, & hæc vocatur à Feudiſtis purgatio per ſacramentum. Quod fallit, ſi ſciente & tacente domino feudum eo modo poſſedit integro anno, nam jurat ſolus. Ita loquitur *tex. in §. ſi autem aliquis. Si de invest. int. domin. & vaſal.* Si de ſucceſſione quæſtio ſit, utputa mortuo patre feudum divido cum fratre, moritur frater cum liberis, huic cum vellem ſuccedere in feudo paterno: dominus ait novum eſſe, itaque illi ſuccedi non poſſe. De hac re videbitis *tit. Si de invest. feu. contr. fue. §. Si autem aliquis.*

Hactenus de civilibus cauſis: In criminali quæſtione probat dominus feudum eſſe commiſſum quinque teſtibus omni exceptione majoribus. *c. unic. Quot testes ſint neces.* Quod ſi non probet, non ſtatim abſolvetur reus, cum nec in civilibus abſolvatur.

In civilibus ſi reus eſt vaſallus, jam dixi quid juris ſit, deficiente apud dominum probatione. At poſſidente domino, ſi actor ſit vaſallus, deficiatque is in probatione, utroque caſu tam in quæſtione inveſtituræ, quam ſucceſſionis datur juſiurandum reo, perinde ut ante dictum eſt, cum duodecim ſacramentalibus. Sic autem jurat, aut ita non eſſe, ut intendit actor, aut juſiurandum referre debet. *§. ſi quis tit. Si de invest. int. dom. & vaſal.* Alterum

rum necessariò faciendum est. *l. manifestæ. ff. De jureju.* Si reus refert actori, actor jurans cum duodecim sacramentalibus obtinet, non jurans causa cadit: si jurat reus cum duodecim sacramentalibus, huic causa adjudicatur. Duodecim sacramentales, sunt duodecim viri qui jurant nostro nomine nobiscum, hoc est qui jurant se credere verum esse, quòd litigans juraverat: sed in hac re locus est judicis officio. potest etiam aliquando judex, si ita videbitur, reum injuratum absolvere. *§. fina. de consue. rect. feud.*

Nonnunquam conjurantes remittuntur, quod tum fit, si vasallus ex alio feudo vasallus sit ejus domini, contra quem agit: nam nisi quod intendit, planè probet, ut in cæteris casibus, jurare cogitur dominus, sed duodecim sacramentales hoc loco remittuntur propter honorem Domini. Ita loquitur *tex. in §. si verò feudum. tit. Si de invest. contr. sit.*

In criminalibus domino non probante crimen, purgat se reus cum tribus Paribus Curiæ, aut duodecim sacramentalibus, cognatis propinquioribus, ut in Constitutione Henrici Imp. apud *Cujac. lib. 5. feudo.* His deficientibus olim solebat iri ad duellũ, cujus usum à Mantineis in Græcia repertum, eruditorum quorundam consensu receptum est.

Sed hæc tàm Iure Civili, per *l. unic. C. de gladiat. lib.* XI. quam Canonico interdicta ſunt, *c. monomachiam. c. conſuluiſti 12. q. 4.* atque adeò, ut mortuorum tali caſu corpora loco ſacro ſepeliri Canones vetent. *c. 1. ex. de torneamentis.* Itaque verius eſt deficiente tum probatione, reum jurare oportere cum duodecim ſacramentalibus, uti dixi, aut ſi id non poſſit, juſiurandum domino referre: qui non poteſt, quam conditionem alteri dixit, in ſe repudiare. Satis dictum eſt, ſi inter dominum & vaſallum agatur, ſi cum extraneo agatur, res expeditur Iure Civili, ut actori incumbat probatio: hac deficienie, abſolvatur reus. Idem dicetur, ſi vaſallus agat cum vaſallo.

CAP.

CAP. XII.

De actionibus feudi nomine tam Domino, quam Vasallo competentibus.

FRustra omnis disputatio superior de feudis instituta esset, nisi subjungeremus, quæ actiones feudi nomine competerent: parum enim est jura in civitate esse, nisi sint & actionũ remedia, per quæ jura executioni mandentur. *l. 2. §. & post. ff. de orig. jur.* Videamus igitur de actionibus quæ feudi nomine exercẽtur: & primùm de ijs, quæ vasallo competunt. Vasallus igitur post realem possessionem feudi sibi à domino traditã, consequitur utilem actionẽ in rem adversus quemcunque possessorem, per quam collatum sibi feudum una cum fructibus recuperat, qua actione etiam contra ipsum dominum experitur, si fortè quo casu possessio feudi ad dominum sine facto ipsius vasalli pervenit. *c. unic. §. rei autem. de invest. de re alie. fac. c. unic. ubi. gl. & Alvar. de controvers. inter vasal. & alium de benefic.* Et in agendo contra possessorem præfertur domino, quoniam vtile dominium pręfertur directo. *ut not. gl. in l. traditionibus C. de*

 pact.

pact. Et utilis actio præfertur directæ; *l. in causæ. 27. §. fin. juncta glos. ff. de procur. Sneidew. part. 1. de feud. nu. 27. Duar. c. 18. in feud. in princip.* Ante realem acceptam possessionem agit vasallus adversus dominum, si vel solenniter prius à domino investitus est, vel si simpliciter tantum ei dominus feudum promiserit: sed diversimodè hic agitur: quia ante collatã investituram tantum vasallus agit ad id quod interest, quia antequam investiatur, nullum jus habet in feudo. Post factam investituram præcisè tenetur dominus possessionem feudi in vasallum transferre, quia feudum dicitur constitui investitura: & investitura facta utile dominium acquirit vasallus. *lib. 2. tit. 26. §. si facta.* Sed quæ actio dabitur hoc casu vasallo? Condictio ex lege non scripta, vel moribus. Quod ita probatur: Quoties nova lege novum obligationis genus introducitur, neque exprimitur, quo actionis genere sit experiendum, tunc condictione ex lege agetur. *l. 1. ff. de condict. ex l.* Tertiò datur actio vasallo adversus dominum ad proprietatem sibi in feudo acquisitam. Dominus enim amittit proprietatem ijsdem de causis, ex quibus & vasallus feudum perdit. *lib. 2. tit. 47.* ut si dominus cum uxore vasalli rem habuerit, vel ei gravem injuriam fecerit, proprietate spoliatur. Et datur

hoc

hoc casu vasallo condictio ex lege, qua petit se immunē declarari ab omni servitio, ad quod propter feudum tenebatur. *tit. de for. fidel. t. Qual. dom. propr. prive.* Illud ab interpretibus prolixè controvertitur; qualis sit hæc actio, utrum bonæ fidei, an stricti juris. *Alvarot.* putavit feudum esse contractum stricti juris, & per consequens actionem quæ ex eo oritur, quia nō refertur inter actiones bonæ fidei ab Imp. *in §. actionum. Inst. de actio.* Communiter hæc est recepta distinctio, quod si feudum concedatur à privata persona, stricti juris censetur; sin autem à Principe proficiscatur, bonæ fidei erit: quia Principum beneficia latissimè sunt interpretanda. *l. fin. ff. de const. princ.* Et omnes contractus à Principe initos bonæ fidei esse, laudat & approbat *Bald. in tit. de pace Constan. in vers. si quis verò. in verb. bonæ fidei.* Verum ego putarem in secreto juris verius esse, quod feudum indistinctè sit cōtractus bonæ fidei, ideo quia in feudis maximè exuberare debet bona fides. Vasallus enim non debet domino vulgarem fidem, sed bona & corpus, ubi periculū inciderit, pro domino debet exponere, à quo vitæ necessaria, pro se, uxore, & liberis accepit.

Nunc dicendum, quæ actiones domino feudi competant. Imprimis autem ex jure communi ratione directi dominij competit domino

domino rei vendicatio. *c. unic. §. si verò vasallus, in verb. dominus rem suam petat. tit. Quid sit invest.* Item domino datur contra vasallum actio ad exhibendum servitium, & ut in bello illi auxilium suppeditet. Tertiò agit dominus contra vasallum, si feudum illi sit apertum delicto vel alienatione vasalli, & datur hoc casu condictio causa data, causa non secuta. *lib 1. tit. 21. de feudo sine culpa non amit.* ad condicendum, & repetendum id quod datum est, hoc est feudum; causa non secuta, hoc est, homagio, & obsequijs fidelitatis non præstitis, ob quæ feudum conceditur. Sed objicitur, quod domino qui feudum petit à vasallo, & contendit se esse dominum feudi, non competat condictio causa dati, &c. quia nemo rem suam condicit. Resp. Sicut odio furum receptum est, ut condictione furtiva conveniri possint. *§. sic itaque. Inst. de actio. l. fin. ff. usufr. quem cau.* Sic usibus feudorum odio vasallorum feloniam committentium receptum est, ut condictione teneantur. Quod si certum genus actionis non est expressum, tunc condictio ex lege competit, quia nova est obligatio à lege introducta. Petit his actionibus dominus à judice declarari feudum ob culpam vasalli apertum, sibi jam acquisitum esse. Sciendum tamen est, quod si feudum commissum

missum est propter feloniam, tunc adversus vasallum agere debet: si verò alienatum est, tunc contra emptorem agit. *lib. 2. tit. 42.* Et sic (laus Deo) absolvi hunc utilissimum tractatum de Feudis, Lugduni Batavorum,

ANNO CIↃ IↃ C XII.

FINIS.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE
LYON
1896

EVE-

337067

EVERARDI BRONCHORST, I. C.

ORATIONES DVÆ;

I, De ſtudio Iuris rectè inſtituendo.

II, De dignitate & præſtantiâ Iuriſprudentiæ.

Quarum prima habita in Academiâ Lugdunenſi Batavorum, initio ſuarum lectionum, cùm ad profeſsionem Iuris in locum clariſsimi IC. Hugonis Donelli vocatus eſſet;

Anno cIↄ. Iↄ. LXXXVII; X Iulij.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE
LYON
1896

EVERARDI BRONCHORST,

ORATIO

De studio juris rectè instituendo.

OMnis quæ via & ratione de re aliqua suscipitur institutio, principio finem, quò ea res fertur atque collimat, prospicere, deinde media ad exitum ducencentia vestigáre prudenter, & aperire solerter debet. Sicut enim viatores, qui certa meta proposita, & semita quæ eò ducat cognita, minus possunt aberrare, sic in disciplinis artium tradendis, cum initio finis cujusque scientiæ proponitur, & apta deinde methodo, quæcunque discentes eò sine errore perducunt, commonstrantur, minus in toto cursu studiosi hallucinantur. Finis jurisprudentiæ est justitiæ & æqualitatis conservatio, qui ad humanæ vitæ summum bonum & πλειότελον τέλος accedit. Nam legitima iustitiæ distributio in civili societate, sanitas est politiarum, & suprema populi salus: quæ in optimo & beato statu Respublicas continet. Cic. 1. de Orat. Sit in jure civili finis hic legitimæ atque usitatæ in rebus causisque civium æqualitatis con-

ſervatio. Vniverſum itaque jus in hoc unum collineare debet, ut juſtitia in communitate civilis vitæ conſervetur. Porrò medium quo id obtineri poteſt eſt jus noſſe, & quid in quaque re juſtum injuſtum, æquale inæquale ſit, ratione & ſtudio exquirere, eóque cognito atque exquiſito jura profiteri, litigantibus rectè cavere; in foro cauſas agere; ac omnibus rerum humanarum actionibus, cum publicis tum privatis rectè atque æquabiliter jus æquumque accommodare. Quam boni & æqui ſcientiam Vlpianus veram non ſimulatam philoſophiam, & alibi civilem ſapientiam appellat: Hæc enim eſt philoſophiæ & quidem pulcherrima pars, agere negocium publicum, cognoſcere, judicare, promere & exercere juſtitiam; quæque alij doceant, in uſu habere. Quod autem verum hunc & proprium artis finem pauci aſſequuntur, ſed in devia omnia aberrant, ſæpè etiam deſertores ſtudiorum efficiuntur, id eò fit, quod certam viam & aptam methodum diſcendi hujus ſtudij ignorant. *Alij enim relictis limpidiſsimis fontibus*, hoc eſt ipſis textibus juris, ad turbidiſſimas lacunas, Doctorum ſcilicet commenta & opiniones accelerant. Pauciſſimi ſunt, qui univerſum jus ſummatim percurrunt, & genera-

generalem præcipuarum juris materiarum cognitionem sibi comparant: quod tamen ei, qui ICti nomen sibi vendicare, & cum laude tueri cupit, scitu necessarium est. Alij nullo habito judicio & delectu interpretum, ambiguis opinionibus, cautelis, & intricatis glossatorum disputationibus se penitus involvunt: *puriores autem & Neotericos interpretes, qui in scholis & theoria versantibus magis sunt utiles & accommodati, quiq́; politioribus linguis & liberalibus artibus imbuti, eleganter & dilucidè magis in jus civile commentati sunt, contemnunt atque negligunt*. Sed quia varij de recta discendi docendique juris, ratione varia literis mandarunt, nos ex omnibus optima quæque seligentes, planam & facilem viam studiosis aperiemus, qua sine magno labore & ulla diffidentia ad metam hujus studij pervenire possint. Porrò in hac oratione, de ratione studij juris tria tractabimus præcipuè capita: Primò de ordine & dispositione librorum universi juris civilis agemus: Secundò rectam & convenientem juris discendi methodum indicabimus: Tertiò quæ sit optima & convenientissima interpretandi juris ratio ostendemus. Principiò itaq; & ante omnia notandum est, quod universam juris disciplinā, quæ antea tam infinita mole librorum

 scate

ſcatebat, ut nulla humani ingenij capacitate comprehēdi poſſet. Imp. Iuſtinianus quatuor diſtinctis libris comprehenderit, qui hoc modo inſcribuntur; Pandectæ, Inſtitutiones, Codex, & Novellæ. Quicquid enim ab Vrbe condita, vel à Regibus, vel Populi Rom. magiſtratibus, vel legibus cautum eſt, vel ab ipſis ICtis de jure reſponſum eſt, uſque ad imperij ſui tempora, quæ ad mille quadringentos annos decurrunt, in hæc certa juris volumina collegit, & ad æquabilem harmoniam redegit Imperator. Quibus libris jus univerſum civile in tantam conſenſionem relatum eſt, ut nihil redundans, nihil obſoletum, nulla denique antinomia, nullum contrarium in hiſce libris relictum ſit, uti refert Imp. noſter in *l 2. §. contrarium. C. de vet. jur. enucl.* Itaque hoc jus civile Romanum hiſce libris comprehenſum; meritò ſupremum & eminentiſſimum eſt, omnibus alijs legibus, tanquam plenum æquitatis & humanitatis anteponendum, circiter mille annorum ſpacio authore Deo unanimi cōſenſu receptum: ſecundum quod omnes ſententiæ & decreta in foro judicijſque univerſi Romani imperij, imò totius Chriſtiani orbis deciduntur. Sunt autem hi libri juris hoc ordine compoſiti: Primo Pandectæ, quæ & Digeſta appellantur,

editæ ſunt, in quo volumine omnia veterum ICtorum reſponſa continentur, & univerſalis juris doctrina, quæ ad duo penè millia librorum, & tricies centena millia verſuum ſe extendebat, in 50. libros concluſa, & optimo ordine digeſta exhibetur. Poſt Pandectas Inſtitutionum opuſculum partim ex Pandectarum libris, partim ex Caij inſtitutionibus authore Theophilo, Dorotheo, & Triboniano collectum & conſcriptum eſt. Deinde Codex promulgatus eſt, ex quo reformatur jus in Pandectas congeſtum. Poſtremò Novellæ conſtitutiones ſunt editæ, quod Iuſtiniani jus eſt noviſſimum, & prioribus veteribus legibus & ſanctionib. derogat, quoties contrarium aliquid continent. His adjecti ſunt duo libri Feudorum, quod jus à Longobardis poſt Iuſtiniani ætatem eſt conſcriptum, ſed poſtea à Romanis Imperatoribus receptum, & tanquam jus cōmune in corpus juris redactum. Hæc de ordine & compoſitione librorum juris delibaſſe ſatis ſit. Nunc de ratione & methodo hujus ſtudij inſtituendi paucula ſubjiciemus. *Primordia hujus ſtudij capienda ſunt ab Inſtitutionibus, quæ prima doctrinæ juris elementa proponunt. Itaque hæc rudimenta, tanquam initio cujuſque artis fieri par eſt, ſtudioſis primum ſunt diſcenda:* Continent namque prima præcipua-

que nec non maximè necessaria jurisprudentiæ capita, communesq; quasdam theses & regulas, nec non definitiones juris universales. Præterea in primis hujus studij tyrocinijs definitiones & significationes verborum juris ex titulo de Verb. significat. petendæ sunt. Quando enim quælibet professio sua habet peculiaria vocabula, quib. non perspectis fœliciter in ea professione versari potest nemo, non injuria titulus ille à candidato juris ante omnia legetur, nempe è quo vocabula juri civili propria est consecuturus. Regulæ quoque juris in ingressu hujus studij cognoscendæ sunt, quia hæc est commodissima discendi juris ratio, ut à generalioribus fiat initium: Nam ad cognitionem specierum debet præcedere cognitio generis: Sunt autem regulæ prima juris principia, seu generalissimæ quædam sententiæ, quæ generali atq; brevi tramite ea cõplectuntur omnia, quæ speciatim fusè & prolixè in vastissimo juris Oceano pertractantur, atque generalem indicem in universum jus ostendunt. Licet itaque Eguinario Baroni & alijs ejus æqualibus improbetur hæc docendi via, ut una cum Institutionibus, ceu primis civiliũ studiorũ annis, tituli de Verb. significat. & regulæ juris juventuti proponantur; probabilior tamen magis est hæc recepta docẽdi ratio,

tio, & arti ac rectę methodo discendi juris magis cōvenit. Nam eruditorum consensu receptum est, in docendis artibus, ab ijs quæ universalia sunt, & nobis notiora, ad singularia procedendum esse. Regulæ autem sunt generales & universales: & quæ cætera fere jura specialiter in se complectuntur: ut nō immeritò ab illis, tanquā via simpliciore & notiore, progressus fieri debeat. Rectè ergo & utiliter faciet studiosus, si primùm omnium universi juris regulas, moxque tractatum de verborum & rerum signif. percurrat, atque pari cura titulos seu rubricas tum Civilis tum Pontificij juris relegat, & ediscat: denique quatuor Institutionum libros evolvat: eáq; plus minus uno anno perficiat. Ità prudenter consulit Corrasius in libello de arte juris, cui subscribit Wesenbecius. Cognitis & perceptis Institutionib. ad Pandectas, quæ universalem (ut nomen ipsum indicat) æqui boniq; scientiam continent, conferre operam studiosus debet. Pandectarū enim seu Digestorum volumen præcipuum est jurisprudentiæ opus, in quod Iustinianus perpetua prætorum edicta, eorumq; interpretationem, ac cæteras veterū ICtorū cōmentationes, quatenus usum habere possent, digessit, ut sublatis aliquando tandem antiquæ jurisprudentiæ disputa-

 tionibus,

tionibus, & dispunctis obsoletis, contrarijs, non necessarijs, certum deinde jus Imperatoris authoritate redderetur. *Porrò Pandectæ ante Codicem evolvendæ & legendæ sunt, tam de Iustiniani præscripto, quam ex recto studiorum instituto: Hæ enim ad θεωρίαν, Codex ad praxin magis facit, quod genus ultimo loco jam adultis, & ad forum ex schola properantibus est proponendum.* Praxi ergo operam daturis, utilius erit in Codice seu Imperatorum constitutionibus, quam in Pandectis seu ICtorum responsis, multū operæ temporisque collocare: Nam in his sæpè non minus est subtilitatis quam frugis: neque parum etiam quæstionum, & opinionum variarum, ac intricatarum disputationum, quæ laudem ingenij habent, & acumen ICtorum ostendunt, cæterum in foro magno usui esse non deprehendunt. At constitutiones Impp. in Codicem relatæ definiunt quæstiones ex media vita quotidiana desumptas, prout quæque res & causa à consulentibus, judicibusve, Romano Cæsari, vel ejus consilio, (quod experitiss. & doctissimis Iuriscons. constabat) dijudicanda est oblata. Quæ, cum actiones, lites, & negocia generis humani fuerint & sint omnibus temporibus similia, ut usum in communitate civilis vitæ semper habeant maximum, necesse est. In Pandectis accura-

tior

tior quam in Codice, quod ad ſingularum materiarum explicationem, & leges ſub titulis collocatas attinet, methodus eſt ſervata. *Nam in illis optimo ordine, per partes, cauſas, definitiones ac diviſiones à ICtis compoſita eſt, & artificioſè digeſta integra juris doctrina; In Codice nullum methodi corpus ſolidè exhibetur, ſed ſingula facta & ſpecies pro re nata incidentes deciduntur.* Titulorum verò tam in Pandectis quam Codice certus & perpetuus eſt ordo, ac apta & concinna connexio, qua catenati ſunt invicem tituli ita, & digeſti arte tam mirabili, ut alius ex alio necti & dependere videatur. Ex hiſce libris jam commemoratis ſolidè & integrè univerſa juris doctrina percipi poteſt & debet. Quia verò ad eruditionem cujuſque doctrinæ comparandam plurimum valet exercitatio, & ſine uſu, quamvis artis præcepta cognita ſint, nihil magna laude dignum conſequi poſſuimus, ideò aſſueſcat imprimis juventus forenſibus præludere controverſijs, atque umbratili quodam diſputationis genere cum æqualibus decertare non erubeſcat, vera argumentando confirmet, falſa oſtenſis vitijs impugnet. Hæ diſputationes & ingeniorum concertationes magnum adferunt ſtudijs incrementum, dum quælibet materia in certas theſes concluditur, & inter æquales ad diſceptan-

dum proponitur. Nam plura, ut dicitur, vidēt oculi, quam oculus, & quæ didicerunt ſinguli, ea in medium, velut unum collata acervum, ad quemque diſſerendo redeunt. Præterea veritas ipſa diſputatione mutuaque opinionum communicatione eruitur, & apertius illuſtratur. Quemadmodum enim aromata, quò magis conteruntur, eò amplius redolent: ſic veritas quanto fortius oppugnatur, tantò clarius expulſis tenebris in lucem progreditur. Sic Arcadius dicebat Herennium Modeſtinum notando & diſputando multa optima ratione decreviſſe. Omne enim artificium, referente Marcello, exercitatione capit incrementum. *Porrò quia juriſprudentiæ finis eſt uſus & praxis forenſis, ut ex umbra & pulvere ſcholaſtico in forum & judicia aliquando prodeamus ad lites dijudicandas & cauſas perorandas*, materiæ quæ in praxi & diſceptatione forenſi frequentē habent uſum, accuratiori ſtudio cognoſcendæ ſunt; quæ autem ſubtiles magis quā utiles ſunt, leviter attingendæ. Materiæ autem in practica & diſputatione iudiciaria potiores ſunt, tractatus reſtitutionū in integrū, judiciorum, dominiorum, contractuum, pignorum, nuptiarum, dotium, tutelarum, teſtamentorum, ſucceſſionum ab inteſtato, poſſeſſionum, uſucapionum, rerum judicatarum, & ap-

& appellationum. Materiæ ſubtiles, perplexæ, & ab uſu judiciorum noſtrorum remotæ, ſunt tractatus juriſdictionum, ſubſtitutionum, juris accreſcendi, Falcidiæ, Trebellianicæ, ſuitatis, bonorum poſſeſſionum: diſputationes de dividuis & individuis. Inter omnes autem titulos tractatuſque juris, nullus majorem utilitatē commendationemque meretur, quam ea pars juris, quæ eſt de actionibus. In formulis enim actionū inſtituendis, & judicijs rectè exercendis tota ars noſtra verſatur. Univerſæ enim Pandectæ in explicandis actionibus, & remedijs quæ vice actionum ſunt, ferè conſumuntur, ut parvulæ videantur iſtæ partes quæ ſunt de rebus & perſonis, præ illa quæ eſt de actionibus. Unde nō immeritò majores noſtri dixerunt, eū qui benè noſſet actiones, totū jus noſſe, titulumque de actionibus plenum auro & honore prædicarunt. *Quare in legendis & cognoſcendis actionum formulis, earumque proprietate & natura inveſtiganda, non torpeat auditoris animus; ſed diligenti ſtudio & cura incumbat.* Hæc de methodo & recta ratione diſcendi juris civilis ſtudia, paucula præcepta attigiſſe ſufficiat. Nunc de ratione interpretandi jura commodùm aliquid ſubjungemus. Cum enim nulla ars ſine interprete & magiſtro percipi queat, etiamſi quā pleniſſimè

ſcribi

ſcribi poſsit, in manus hominum ſcripta perveniat, tum hoc nominatim & præcipuè de Iure civili accipiendum arbitror, ex auctoritate Ciceronis, qui ita in epiſtola quadam ad Trebatium ſcriptum reliquit: Num jus civile veſtrum ex libris cognoſci poteſt, qui quanquam plurimi ſunt, Doctorem tamē lumenque deſiderant. Ad expoſitionem & declarationem Inſtitutionum quod attinet, in his ita commodiſsimè progrediendum eſt, ut cujuſque tituli argumenta ſummatim proponantur, deinde quælibet materia in certa capita ac communes juris regulas redigatur. *Poſtremò hæ concluſiones & definitiones ſuis rationibus firmenmentur, & ſtabiliantur.* Qui ſecus faciunt, & prima juris elementa longiſſimis deformant commentarijs non tam interpretari quam gerges conſarcinare videntur, & ut de procis Penelopes dici ſolet, cum domina potiri non poſſunt, ad ancillas ſe convertunt, ut præclarè Hopperus in libello de IVRIS ARTE ſcriptum reliquit. Ex omnibus namque libris juris civilis, neque elegantior neque facilior eſt ullus, quive interpretem deſideret minus quam Inſtitutionum libellus, ut eorum opera planè ſit inutilis, qui hæc prima juris elementa prolixis gloſſis & commentarijs onerant, quod poſitū eſt in una cognitione, in infinita diſpar-

dispartientes, quo scilicet plura scire videantur. Quæ docendi ratio tota deërrat à recta institutione artis, & summo illo præcepto, quod tam graviter inculcat Iustinianus, ut incipientibus jura simplici & levi via tradantur, ne difficultate institutionis tam numerosæ atque perplexæ discentes ab hoc studio deterreantur. *Hæc de Institutionem recta & syncera interpretatione admonuisse sufficiat.* Porrò in explicandis ICtorum responsis, & Imperatorum Constitutionibus, quæ Pandectis & Codice continentur, optimum erit rationem & modum, quem Iustinianus in jure interpretando præscripsit, sequi. Imperator autem Iustinianus duplex tantum interpretandi genus concessit: Primò ad titulos legum monita tantum brevia, quæ Paratitla vocat, edi permisit, veteres Summas vocant; commentarios districtè vetuit, ea ratione, quam addit Imp. (*in l. 1. C. de V. I. enucl.*) quia per contrarias & diversas interpretantium sententias totum penè jus conturbatum erat. Sunt autem Paratitla nihil aliud quam brevia titulorum argumenta, & admonitoria, quæ admoneant studiosos, quid in quolibet titulo contineatur. Permisit etiam Iustin. scribi, quam vocat κατὰ πόδα interpretationem, hoc est, brevem & apertam paraphrasin, quæ non pluribus multò ver-

tò verbis, quam leges ipsæ scriptæ sunt, sensum legis perspicuè declarant: eæ enim sunt propriè glossæ, eæ κατὰ πόδα interpretationes. *l. 2. § hoc autem 17. C. de V. I. enucl. Alciat. lib. 2. Parerg. cap. 6.* Hanc interpretandi viam & methodum primi glossatores studiosè satis observarunt. Accursius siquidem vir acerrimo ingenio, divinaque memoria præditus, qui universum jus civile in numerato habuit, hoc potissimum in legibus operæ præstitit, ut quicquid cuique legi consentanenm sit, quid cum eo pugnet, quibus casibus locum habeat, diligenter sub conspectum cujusque subjecerit, hoc est concordantes & contrarias leges omnes, legumque limitationes studiosè collegerit. Vnde & Cujacius *lib. Obs. 3. c.* XI. Accursium & Latinis & Græcis interpretibus omnibus meritò anteponit. Sed hæc cum non explerent obtusiora ingenia, supervenêre alij, Bartolus, Baldus, Castrensis, alijque ejusdem notæ scriptores, qui ad ipsas glossas commentarios scripserunt, atque ita paulatim glossæ gravidæ factæ quæsierunt sibi liberos, ingentes, immanes, insanos commentarios. *Horum tamen scripta eam cæperunt in scholis authoritatem obtinere, ut etiam legibus anteponantur, & plus sæpè valeant, quam rationes.* Et quamvis Iustinianus glossas adscribere districtè vetuerit, hi

tamen

tamen nihil aliud conati ſunt, quam contrariam omninò Imperatori docendi viam tenere: Hi Interpretum commenta & gloſſas Accurſij magis quam leges ipſas enarrant, immanibus opinionum & allegationũ plauſtris lectorem in tranſverſum agunt, & ſexcentas leges uno halitu ſæpè proferunt, in re quæ uno verbo explicari potuiſſet; quæve comprobatione egebat nulla. Sed ne in incerto noſtra vagetur oratio, dicam paucis quid in illorum ſcriptis deſideretur *ad puram & ſynceram juris interpretationem.* Tria in eorum ſcriptis politiores ICti requirunt, methodum ſeu ordinem, Latinæ linguæ puritatem, & denique antiquitatis & hiſtoriarum cognitionẽ: In quæ vitia ipſi infœlicitate temporum inciderunt: quo factum eſt, ut multis tenebris ab ipſis involuta ſit juriſprudentia. Qua de re graviſſimè ſcribit Duarenus, in epiſtola ſua de ratione diſcendi docendique juris, hiſce verbis: Doctores veteres pro Latinis proprijs & elegantibus vocabulis, nova eademque inepta & monſtroſa cudunt, ex quibus conflata oratio, quia præ nimia obſcuritate non intelligitur, idonea ad docendum eſſe non poteſt. Ibidem ſubjungit author: Methodus etiam & ars docendi deſideratur in veterum Doctorum ſcriptis. Omnes in aliorum

interpretum, qui propè innumerabiles sunt, commentarijs magis, quam legibus interpretandis occupati, de re paucissima præter rem infinita scribunt, alienissimis locis inculcant quæcumque libet, & vnius voculæ arrepta occasione evagantur à proposito, nihil pensi habentes, quid quove loco dicatur aut scribatur, idque potius ambitionis & ostentationis quā erudiendi gratia. Hæc Duarenus. Quamobrem ut & meum judicium adferam, studiosi legum dum adhuc in scholis versantur, optimè suis studijs consulent, si primum diligenter ipsos textus sibi familiares reddant, à lectione Institutionum exordiantur, & in ijs cujusque tituli summâ breviter perceptâ, ad Pandectarum lectionem progrediantur. In quibus evolvendis ita versari debent, vt titulos ipsos, eo ordine quo à Triboniano descripti sunt, brevi ac simplici interpertatione percurrant, ac tanquam in tabula depingant, quid sub quoque summatim contineatur. Secundò in cuiuslibet tituli explicatione & discursu hoc diligentur notandum, quod in singulis ferè titulis, edictū aliquod Prætoris seu formulam legis aut SCti collocatam habeas, cui ex Vlpiano Caio, Paulo, Pomponio alijsque veteribus consultis subiecta sit interpretatio. Hanc docendi rationem nemo melius asse-

assecutus est, quam Baro in suis Manualibus; in quibus leges veteres & edicta prætorum ad Pandectas diligenter restituit, & immensam legum congeriem paucissimis verbis comprehendit. Quo scripto nihil magis purum & nitidum, nullusq; interpretum commentarius universam juris ideam apertius oculis spectandam exhibuit. Tertiò hoc in cujusque tituli expositione studiosè observandum, ut in singulis tractatibus, ea quæ à ICtis ab eadem ratione ducta & profecta sunt, ea ad generalia & universalia quædam theoremata seu axiomata referantur, & in certa capita digerantur. Generales itaque juris theses & enunciationes ex singulis titulis colligendæ sunt, tum definitionibus ac divisionibus, causis & effectis quælibet materia illustranda est. Ita fiet, ut quæ omnibus deinde casibus & controversijs servire poterunt, ex generalibus istis præceptis peti & depromi possint; infinita etiam ac innumerabilia in paucissima genera redigentur, ac totum denique jus commodius doceri & percipi, & multò facilius memoria comprehendi poterit, *cum singularia, quia infinita sunt, sub nullam artem vel præceptionem cadant.*

Quartò, si occurrat difficilior & intricatior aliqua materia vel quæstio juris, quæ in-

terpretem necessariò desideret, hic velim studiosum ad ICtorum Neotericorum, vel recentiorum lucubrationes recurrere. Illi lectorem non fatigant tot opinionum fluctibus, & allegationum plaustris, neque quęstiones tam supervacuas atque impertinentes inculcant, sed veræ ac politioris doctrinæ copia exornati, puriori ac elegantiori stylo leges interpretantur, ac ea quæ in his libris secum pugnare videntur, multò fœlicius conciliant. Tales sunt qui primum jurisprudentiam instaurarunt, & in jure civili Latinè scribere cœperunt; Alciatus, Zazius, Duarenus, Baro, Goveanus, Corrasius, Connanus, Costalius, Contius, Oldendorpius, & qui adhuc florent Hotomannus, Cujacius, Donellus, & inter Germanos ICtorum princeps & antesignanus Wesenbecius. Certè inter omnes, qui nostra memoria juris civilis disciplinam methodo tractare cœperunt, unus est præcipuus, clarissimus D. Wesenbecius; Hic adeò altè ædificavit, ut omnium aliorum in simili genere scriptionis versantium luminibus longè latéque obstruxerit. Siquidem omnium fœlicissimè juris civilis scientiam ad artem & methodum accommodavit, dum per definitiones, divisiones, causas, effecta, affinia, & contraria progrediendo, cujusq; tituli ac materiæ

natu-

naturam solidè investigavit. Vnde quod olim de Azone præceptum fuit, ut nemo posset Veronæ intrare collegium Doctorum, qui non haberet Summam Azonis; hoc multò rectius de Wesenbecij Paratitlis prædicari poterit. Verum ut etiam aliquid addam de veterum Doctorum prolixis commentarijs, an hæc omninò studiosis negligenda sunt? Minimè gentium, sed sua illis etiam debetur laus, sua auctoritas, suusque honos. De his Doctorum scriptis neminem melius Viglio judicasse puto, qui in hæc verba scriptum reliquit *ad §. fin. Inst. de inoff. testa.* In hoc utiles sunt Doctorum repetitæ Commentationes, quod allegationum copia, consiliorum recitatione, multisque limitationibus & ampliationibus, eos qui causis patrocinantur, egregiè instruere possunt. Idem planè & simile est consilium Wesenbecij, qui in præfatione Institutionum de studio juris rectè inchoando ita scribit: *Superioris ætatis interpretes in consilijs rerum maximarum, & imperiorum administratione multum versati, non in umbra scholarum, sed in media Repub. vim omnem justitiæ & juris perdiderunt.* Deinde subjungit: Vsitatum est cum in agendis tum definiendis causis sententias eorum interpretum attendere, nisi evidenti ratione, aut explorato jure refutentur. Cum

enim hi (inquit) ſint civilium rerum experientiſſimi homines, infinitas ferè quæſtiones, quæ nuſquam certa aliqua lege comprehenſæ ſunt, paſſim tractant & decidunt. Quid igitur obeſt? cur in rebus ambiguis ſententias illorum ſequi vereamur, præſertim cum ſuæ opinationis ut plurimum cauſam aliquam probabilem ex jure adferre conentur. Et ſanè ita ſe res habet, quod ex jure civili, quod libris Iuſtiniani comprehenſum eſt, omnia negocia, omneſque caſus controverſi decidi & terminari non poſſunt. Cũ enim in hoc amplisſimo rerũ humanarum mundo plura ſint negocia quam vocabula, non poſſunt omnes caſus & controverſiæ ſingulatim certis & ſpecialib⁹ legibus expreſsè decidi. Qua de re gravisſimũ extat teſtimonium Alciati. *ad tit. de V. S.* ubi ita ſcriptum reliquit, Scribat Iuſtinianus quantum velit, glorieturq; hoſce ſuos libros cauſarum negociorumque deciſionibus ſatis eſſe, res ipſa planè reclamat, nemoq; profeſſionis civilis eruditus eſt, qui apertiſſimè non videat innumerabiles dubitationes, ex facto oriri, quas niſi omnino Oedipus is ſit, ex harum legum ſylva decidere nemo unus poſſit, ut planè ſine Bartolo, Baldo, Caſtrenſe, Iaſone, alijſque quibuſdam interpretibus jus noſtrum non conſiſtere affirmare auſim. Idem

Baro

Baro ad libros Institutionum confirmat, ubi inquit, Ex commentarijs Pauli, Vlpiani, Gaij &c. cõtroversiæ in foro decidi nõ possunt, nisi Accursij, Bartoli, Baldi interpretatio accedat. *Quamobrem ut rem in pauca concludam, non putarim meliorem viam & rationem discendi studiosum juris tenere posse, quam si dum adhuc versatur in Scholis, & præceptoribus dat operam, diligenter legat Theoricos, qui textum simpliciter, breviter & apertè explicant. Quorum scripta cum nitida, pura & elegantia sunt, tum etiam exactiori methodo singula excutiunt, nec tot impertinentibus & alienis quæstionibus obruunt ingenia studiosorum.* Deinde ubi nunc ad forum se pręparare incepit studiosus, tum consultum erit, ut practicorũ & veterum DD. commentarios diligenter evolvat. Inter omnes autẽ Doctores palmam tenet, & maximam in foro auctoritatem obtinet Bartolus, qui pater veritatis, & lucerna Iuris non immeritò appellatur. Neque imprudenter faciet aliquis, si diligenter excutiat commentarios Iasonis: Hic enim utpote postremus ex antiquis interpretibus juris omnium Doctorum, qui ante se scripserunt, opiniones & sententias semper refert & examinat, ac deinde subjungit, quænam opinio jure & rationibus maximè sit fundata. ita ut qui Iasonem legat diligenter, compendio omnes alios Do-

ctores legisse intelligatur. His ambobus si quis adjungat Speculatorē, omnium practicorum patrē & coryphæum, cum aureo Speculo Roberti Marātæ, Practicâ Petri Ferrariēsis, ex antiquioribus ICtis, ex Neotericis vero Observationibus Andreæ Gaill, & Minsingeri, nec non Classibus Oldendorpij, putarem eum cōmodissimè ex his praxin & usum forensem legum posse cognoscere. Hæc habui, studiosi & ornatissimi adolescentes, quæ de recta docēdi discendique juris ratione hoc tempore dicenda existimavi: ad quam institutionem si cursum vestrorum studiorum dirigatis, facili labore & sine ulla difficultate ad optatam metam, hoc est justitiæ & æquitatis artem pervenietis. Sin autem à primordio legalis scientiæ, neglectis fontibus, hoc est legibus, & purissimis Neotericorum scriptis, statim ad impolitos antiquorum interpretum commentarios accedatis, & in altercationibus ab ijs excogitatis, quibus omnia in controversiam vocare solent, omnem operam & studium collocetis, vel studiorum miseri desertores & transfugæ evadetis, vel serius id quod institutum erat, summa cum difficultate & tædio contingetis.

FINIS.

EVERHERDI BRONCHORST

ORATIO

II.

De dignitate & præstantia Iurisprudentiæ.

PRopoſui de Iuris civilis & legum honeſtate, utilitate & dignitate verba facere, in quo argumenti genere, cum ſit ampliſſimum & latiſſimum, non tàm copia, quam modus mihi in dicendo quærendus eſt.

Ac principio quidem ſi illud imprimis quod honeſtum eſt, & cum virtute conjunctum, expetendum eſt, quid legum & juris doctrina, pulchrius, honeſtius & laudabilius excogitari poteſt? Cum enim omnis boni fons & origo ad Deum immortalem referri debeat, certè nihil præclarius legibus excogitari poteſt, utpote quæ à Deo Opt. Max. omnium bonorum conditore & authore inventæ & inſtitutæ ſunt. Teſtatur hoc primum lex naturæ, quę nihil aliud eſt, quam legis divinæ notitia, mentibus hominum divinitus inſita. Natura

enim cuique insitus est delectus rerum, bonique malique discrimen. Hoc evidenter confirmat Apostolus Paulus 2. Rom. cap. 1. *Gentes*, inquit, *quæ legem non habēt, natura quæ legis sunt, faciunt, ut qui ostendant opus legum scriptum in cordibus suis*. Vtcumque enim gentes Mosaicam legem scriptam non acceperint, ex lumine tamen naturæ habuerunt, ut honesta amplexi, turpia aversati fuerint, attestante cujuscunq; conscientia, & cogitationibus inter se accusantibus, aut excusantibus. Hæc lex naturæ tradit numen esse colendum, virtuti operam dandam, neminem lædendum, & omnibus benefaciendū. Et in universum Christus hanc legem Matth. 7. hac unica sententia expressit, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: addēs hoc præcepto contineri, quicquid uspiam in Lege & Prophetis est expressum. In hoc enim, teste Lactantio, justitiæ summa consistit, ut non facias alteri quicquid ab ipso pati nolis.

Secundò, Deus ipse leges proprijs digitis duabus tabulis Decalogi insculptas populo suo promulgari voluit, ut extaret testimonium publicum, quo admoneremur, quid Deo conditori & observatori politici ordinis, quid deinde Magistratui, & proximo deberemus. Vnde Demosthenes rectè scriptum reliquit, homines ideò obligari ad scripta-

rum

rum legum obedientiam, quia inventum & munus Deorum ſunt.

Vt autem hoc inſtitutum Dei fidelius & diligentius executioni mandaretur, ſeriò & graviter præcepit, ut initio inaugurationis Regum, liber Deuteronomij, qui continet leges à Deo populo ſuo præſcriptas, Regibus in manus traderetur, ut ſecundùm earum præſcriptum vitam ſuam inſtituerent, populumque ſibi commiſſum regerent & gubernarent. Sic enim Deus inquit Deuter. 17. *Cum inſidebit Rex ſolio regni ſui, deſcribet ſibi exemplum hujus legis ex libro, qui erit in manibus Leviticorum ſacerdotum. Eritque penes eum, & leget in eo omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Iehovam Deum ſuum, obſervare omnia verba hujus legis, & ſtatuta iſta, faciendo ea.*

Hanc ordinationem & inſtitutionem legum à Deo profectam eſſe, ipſi etiam Philoſophi profitentur. Sic enim Plato eleganter ſcriptum reliquit, Deus metuens ne totum genus humanū interiret, donavit hominibus pudorem & juſtitiam, ut eſſent civitatum vincula & ornamenta, & amicitiæ conciliatrices. Idē pręclarè Cicero confirmat, dum inquit, Lex nihil aliud eſt, niſi recta & à numine Deorū tracta ratio, imperans honeſta, pro-

 hibens

hibens contraria. Quod primo libro de legibus copiosius & elegantius illustrat, his verbis: Et certè si quis hujus scientię ortum atque progressum ab ipsa antiquitate repetere voluerit, eam non inventam neque excogitatam, sed cum ipsa natura natam, & omnium mentibus insitam existimaverit. Nam sylvestres & inculti homines inventis statim verbis, quibus voces mentisque sensa notarent ac exprimerent, ut tandem propter glandes atque sedes ferarum more pugnare desinerent, leges quasdam inter se tulerunt, quibus ad politiorem cultioremque vitam se contulerunt, oppida munire cœperunt, publica à privatis distinguere, negotiari, permutare.

—— Fuit hæc sapientia quondam;
Publica privatis secernere, sacra prophanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Vnde per omnes populos peragravit justitia, & suos igniculos cujusque animo ita ingeneravit, ut nulla sit tam barbara gens, nulla tam fera natio, quæ nō habeat instituta sua aliqua, ad quorū observationem non mediocriter inflammetur. Quod alibi idem author hoc pulcherrimo elogio cōcludit: Nihil est præstabilius, quam intelligi nos planè ad justitiam esse natos, neque opinione, sed natura esse cōstitu-

tum jus. Ex hiſce argumẽtis manifeſtè liquet, ab ipſo honeſtatis auctore DEO ſanctiſſimam civilem ſapientiam ortum & initium ſumſiſſe. Nunc ſi ad jurisprudentiæ materiam, & ſubjectum quis reſpiciat, eam nihil aliud quā benè beatéque vivendi regulas continere intelligit. Hoc pulcherrima illa tria juris civilis præcepta abundè demonſtrant, quæ jubent ut honeſtè vivamus, alterum non lædamus, jus ſuum cuique tribuamus: Quibus omnia viri boni officia omneſque virtutes perfectè cōprehenduntur. Leges ſiquidem in civili vita ſunt normæ hominum in externis actionibus, ut mores honeſte placidéque regantur. Vnde eleganter Iſocartes leges appellat lat cancellos quoſdam flagitijs hominum circundatos, ne tranſiliant mali & improbi. Quinimò leges ſunt nervi omnium imperiorum & totius civilis ſocietatis vincula, cujus ſalus & tranquillitas omnis ex obſervatione legum dependet. Nulla eſt enim vitæ pars neque publicis neque privatis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, quæ legibus vacare poteſt; in ijſque colendis ſita eſt vitæ honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo. In hiſce ſacratiſſimis legibus ad honeſtatem expetendam ſummopere excitamur, cum verus juſtus atque honeſtus

ſtus labor honoribus pręmijs, atque ſplendore decoratur, vitia autem atque fraudes hominum, damnis, ignominia, vinculis, verberib⁹, exilijs, morte mulctantur. Et docemur non infinitis concertationumque plenis diſputationibus, ſed auctoritate nutuq; legum domitas habere cupiditates, coërcere libidines, noſtra tueri, ab alienis mētem, oculos, manus abſtinere. Hæc eſt illa juriſprudentia, præceptrix & magiſtra virtutum, à qua in omne hominum genus leges & jura manarunt, quę benefactis honores & præmia, malefactis ignominias & ſupplicia proponens, ſtudia bonorū excitat, malorum improbitatem coërcet; qua ſublata, non domus ulla, non civitas, non hominum inter ſe ſocietas, nō ipſa denique univerſitas rerum ſtare, ac ſe tueri temporis punctum poſſet. Legum namque & juſtitiæ ſancta & ſevera obſervatione, civitates, regna, imperia, ab initio fundantur & conſtituuntur, ac deinde per multa ſæcula propagantur & conſervantur. Sic Romanum Imperium publicè privatimq; fidem & juſtitiam colendo, ad tantam amplitudinem pervenit, & per tot annorum ſæcula in fœlici & florētiſſimo ſtatu perduravit. Iuſtitiam enim & fidem, quam ICti colunt & profitentur, pax & amicitia, & bonarum artium cultus, omniumq; expetēdarum

rerum

rerum abundantia comitatur. Eam si colerēt omnes, nunquam tubæ, nunquam litui exaudirentur; arma aut exederentur rubigine, aut in vomeres & ligones conflarentur; belli, dissensionis, inimicitiarum ne nomina quidem cognita hominibus essent.

Tutus enim bos rura perambulat,
Nutrit rura Ceres, almáque Faustitas:
Pacatum volitant per mare navitæ.
Culpari metuit fides.
Nullis polluitur casta domus stupris.
Mos & lex maculosum edomuit nefas.
Laudantur simili prole puerperæ.

ut suavissimè cecinit Horatius. Vbicunque justitia dominatur, illinc fraudes, doli, perjuria exulant, non adulteri, non raptores, non fures, non sicarij, non venefici, non obsessores itinerum, non subjectores testamentorum, reperiuntur: ea denique propemodum eveniunt, quæ aureæ ætatis hominibus evenisse creduntur. Nam ne tum quidem aliam ob causam

Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores:
Nec renovatus ager gravidis canebat aristis,

quam quoniam homines

Sponte sua sine lege fidem rectumque colebant.

Porro hic verus & proprius est Iurisprudentiæ

tiæ finis, ut juſtitia in ſocietate humana colatur, ad hanc tanquam ad Cynoſuram legiſlatores omnia ſua præcepta dirigunt, ut juſtitia conſervetur, & homines honeſtè juſtéque vitam tranſigāt. Hoc pulchre Plato hac elegantiſſima ſententia confirmat, ἡμῶν ἡ τῶν νόμων ὑπόθεσις ἐνταῦθα βλέπει, ὅπως ἔσονται οἱ πολῖται μάλιστα ἀγαθοὶ, καὶ ἀλλήλοις φίλοι. Hinc etiam rectè & eleganter juris prudentia ab Vlpiano definitur quod ſit divinarum & humanarum rerum ſcientia, juſti atque injuſti notitia, ſive ars æqui & boni, cujus nos meritò quis ſacerdotes appellet. Hoc enim agunt & conantur ICti, ut verè juſti fiant cives, aliter atque Philoſophi, qui perſuaſionibus atq; monitis tantum bonos efficere ſtudent, ICti verò manu cogūt, id eſt, præmijs & pœnis civiliter juſtos efficiunt. Longè autem melius id quod honeſtum eſt à ICtis, quam à Philoſophis traditur & docetur, nam ICti honeſti rectique cognitionem ad uſum hominum magis traducunt. Cognitio verò contemplatioque honeſti, quam Philoſophi profitentur, manca quodammodo, mutila ac tantum inchoata eſt, cum illam nulla rerum actio conſequatur. Vnde meritò ab Vlpiano dictum exiſtimem, veram ICtos non ſimulatam & in ſcholarum umbraculis deliteſcentem Philoſophiam affectare.

fectare. Hæc de honestate legum dixisse sufficiat: nunc de earumdem utilitate pauca subjungam, ut si decus & honestas hujus scientiæ aliquem non moveant, saltem uberrimi fructus, maximáque commoda, quæ ex jurisprudentia percipiuntur, ad capessenda hæc studia adolescentum animos inflamment. Porro hæc ingentia emolumenta, amplissimíque fructus, tum in universum ad totius Reipub. utilitatem pertinent, tum privatim ad singulos cives spectant. Cum enim duplex sit jus, publicum & privatum: illud ad publicum totius civitatis bonum refertur, hoc ad privatas singulorũ civium utilitates pertinet. Illud autem imprimis certissimũ & verissimũ axioma & præceptum esse, tam in politica quam œconomica societate, recta ratio dictat, & manifesta experientia ostendit, quod scilicet humana vita cõservari nequeat, nisi benefactis præmia decernantur, delictis supplicia irrogentur. Sic enim sapientissimus legislator Solon de optimo Reipub. statu pronuntiavit, illam civitatẽ optimè habitari, in qua viros bonos honoribus & præmijs affici, contra improbos pœnis & supplicijs affligi moris fuerit. Vtrunque in publicis & privatis causis prudenter recteq; administrat jurisprudentia, dum bonos honorum & pręmiorum exhortatione efficit,

malo

malos & improbos à flagitijs pœnis & supplicijs deterret.

Hinc legislatores pios, doctos, & probos viros ad ecclesiarum & scholarū gubernacula promovēt: prudentes, justos & graves ad honores & munera Reipub. eligunt: denique fortes & magnanimos ad militaria munera & officia cooptant. Præterea legislatores & magistratus qui Rempub. gubernant imprimis operam dant, ut cives justè & honestè vivant, omnibus prodesse & benefacere studeant, nullius bonis, vitæ, aut famæ, vi vel fraude insidientur, ut tuta & tranquilla pax & concordia in humanâ societate conservari possit. Hinc in privatis causis judicia & actiones à Prætoribus sunt propositæ, quibus singuli jus suum tueri & persequi, bona sua ab improborum impetu & injuriâ defendere, damnumq; sibi in facultatibus vel famâ illatum, recuperare possunt. In publicis verò causis, quæ ad totius Reipub. læsionem spectant, criminalia judicia sunt instituta, quibus enormia & graviora crimina asperioribus pœnis, puta vinculis, verberibus, ignominiâ, exilio, & morte mulctantur. Vbicunque hæc judicia pari æquoque jure inter summos & infimos exercentur, ibi civitates & Respub. florere & in fœlici statu consistere oportet. Vnde sapienter

pienter & præclarè Plato Philoſophorum princeps pronuntiavit, quod ille ſtatus Reipub. firmus ſit & optabilis, in quo privatim ſanctè innoxiéque vivitur, & publicè juſtitia & clementia vigent. Cui convenienter Agathias laudatiſſimus ſcriptor proditum reliquit, quod ubicunque charitas & juſtitia vigent, fœlicem procul dubio Rempub. reddunt. At verò ubi à regno vel Repub. profligata jacet juſtitia, ubi leges & judicia exulant, ibi regnum ſtatumque Reipub. corruere & funditus interire neceſſe eſt. *Nam remota juſtitia, quid aliud ſunt regna, niſi mera latrocinia?* Hinc vetuſtiſſimus Romanæ hiſtoriæ auctor Halicarnaſſæus ſapienter ſcriptum reliquit, *Ex quacunq́ civitate jus & leges exulant, in eam bellum, ſeditióque ingruere ſolet.* Quod & Seneca hoc inſigni teſtimonio comprobavit, *Vbi non eſt pudor, cura juris, pietas, ſanctitas, fides, Inſtabile regnum eſt.* Hoc & S. Scriptura, quæ eſt ipſa veritas, & fallere vel falli non poteſt, evidenti teſtimonio per Siraciden prolato, confirmat, dum inquit, *Regnum à gente in gentem trasferetur propter injuſtitiam, injuriam, contumelias, & diverſos dolos.* Quicũque ergò Rempub. in quâ vivunt, florentem videre cupiunt, qui proprios penates, qui privata bona ſalva & integra tueri volunt, hiſce ſacroſancta eſſe

 debet

debet legum auctoritas; ab his jus civile in summo pretio & honore habendum, ac diligenter excolendum est. Etenim hoc sublato, nihil est quare exploratum cuiquam sit, quid suum, aut quid alienum sit: nihil est quod æquabile inter omnes, atque unum omnibus esse possit. Pulchrè Cicero pro Cæcinna, *Quid est jus civile? quod neque inflecti gratiâ, neque infringi potentiâ, neque adulterari pecuniâ potest. Quod si non modò oppressum, sed etiam desertum aut negligentius asservatum erit, nihil est quod quisquam se habere certum, aut à patre accepturum, aut liberis relicturum videatur. Mihi credite, major hereditas venit unicuique vestrum in ijsdem bonis à jure & legibus, quam ab ijs, à quibus bona relicta sunt. Nam ut perveniat fundus, testamento alicujus fieri potest; ut retineam, quod meum factum est, sine jure civili non potest.*

Hactenus de honestate & utilitate legum, nunc de splendore & dignitate nobilissimæ Iuris civilis scientiæ, pro complemento paucula subjungam. Hujus juris cognitio atque interpretatio, teste Cicerone in Officijs, summo semper in honore fuit habita, *Nam in jure cavere, consilio juvare, atque hoc scientiæ genere prodesse quamplurimis, vehementer & ad opes augendas, & ad gratiam pertinet.* Vt rectè dixerit Iustinianus Imperator, quod leges neminem

neque

neque in paupertate vivere, neque in anxietate mori permittant. Vnde alibi accommodatè Cicero domum ICti oraculum totius civitatis appellat; utpote quia ad ICtos de omnibus divinis & humanis rebus referebatur, ijdemque & in Senatu, & apud Populum, & in causis amicorum, & domi & militiæ, cõsilium suum fidemque præstabant. Quamobrem in Repub. Romana ICtis summi honores, amplissimæque dignitates semper sunt collatæ. Testantur hoc illustria aliquot exempla ex antiquis Romanæ historię monumentis depromta. Sic Pomponius IC. in *l. 2. ff. de orig. Iur.* annotavit, quod Scipioni Nasicæ publica domus in Sacrâ viâ data sit, quo facilius de Iure consuli posset. Vnde etiam hoc honoris ei detulerunt, quod primum eum Sophum seu Sapientem cognominarunt. Similiter Servius Sulpitius, qui omnis divini & humani juris evasit peritissimus, summæ auctoritatis apud Pop. Rom. fuit. Nam cum in legatione, quam pro Repub. Rom. susceperat, mortem obijsset, statuam illi Pop. Rom. posuit, quæ honoris insignia paucissimi sunt consecuti. His accedat præclarum illud præconium, quod extat apud Ciceronem 3. de Oratore: *Meminimus*, inquit, *& etiam vidimus Sex. AElium, & M. Manlium transverso foro ambulan-*

bulantem, quod erat insigne, eum qui id faceret, facere omnibus civibus sui consilij copiam; ad quos olim ita ambulantes, & in solio sedentes, domi sic adibatur, non solum ut de jure civili ad eos, verùm etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique negotio aut officio referretur. Ex quo juris civilis cognitio, plurimum illis, qui ei præsunt, honoris, gratiæ, & dignitatis attulit. Quid enim est præclarius, quàm honoribus & Reipub. muneribus perfunctum senem, posse suo jure dicere id, quod apud Ennium dicebat Pythius Apollo, Se esse eum, unde sibi si non populi Principes & Reges, at omnes sui cives consilium patrociniumque expeterent. Est itaque sine dubio munus ICtorum, seminarium omnium ordinum & dignitatum Reipub. Ex hoc enim numero eliguntur Præsides curiarum, Legati Principum, Consiliarij, Senatores, Magistratus, Prætores, Satrapæ, Iudices, Advocati, Causidici, Cancellarij, Secretarij, Syndici, Doctores, Professores, alijque honorati viri, qui amplissimis Reipub. muneribus & dignitatibus funguntur.

Postremò nunc ad vos, adolescentes studiosissimi, mea se convertit oratio; Vos seriò & sedulò adhortor & moneo, ut ad hæc

præcla-

præclara & elegantiſsima Iuriſprudentiæ ſtudia diligenter excolenda animum adijciatis, ac in ijs perdiſcendis omnes ingenij nervos intendatis. Sic veræ virtutis & probitatis laudibus & ornamentis nomen veſtrum cohoneſtabitis. Memori mente & animis infigite auream illam & præclaram ICti Pomponij ſententiam, qui dixiſſe fertur, *Ego diſcendi cupiditate, quam ſolam vivendi rationem optimam in ſeptuageſimum ætatis annum duxi, memor ſum ejus ſententiæ, qui dixiſſe fertur:* Κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχω, προσμαθεῖν τοι βουλοίμην, id eſt, *Etiamſi alterum pedem in ſepulchro haberem, tamen adhuc addiſcere vellem.* Quod ſi egregiam operam in hiſce ſtudijs legalibus collocaveritis, inſigneſque feceritis progreſſus, ampliſsima laborum veſtrorum præmia reportabitis, gloriam, gratiam, honores, dignitates, opes, divitias. Cogitate vobiſcum, quicquid eſt iſtud laboris quod juriſprudentiæ datur, tribus aut ad ſummum quatuor annis abſolvi, cæterùm honorem & utilitatem in omnem uſque vitam vos commitaturum. *Labor abit, honeſtas manet: labor brevis, gloria immortalis.* Alij tot annos deſudant, per terras mariáque volitant, ut rem familiarem augeant, Vos pigebit ad paucos annos honeſtiſsimis ſtudijs incumbere: quo ſimul rem, gloriam & dignitatem hone-

ſtè comparetis? Frequenter illud Horatianum animis veſtris occurrat,

Dimidium facti qui cœpit, habet, ſapere aude;
Incipe, vivendi qui rectè prorogat horam:
Ruſticus expectat, dum defluat amnis, at ille
Labitur; & labetur in omne volubilis ævum.
Vos moveat quæſo tantarum gloria rerum,
Atque ſuper veſtra toleretis laude laborem.
I bone, quò virtus tua te vocat; I pede fauſto,
Grandia laturus meritorum præmia, quid ſtas?

FINIS.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON Gde 1896

Digitized by Google